

EPISTULA LEONINA

CCLI

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
 LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-
 CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM


DUCENTESIMAM QUINQUAGESIMAM PRIMAM (251)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....	03-08
ANTRUM PLATONICUM.....	09
CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM IN EL 250 COMPOSITUM.....	10
CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....	11-13
CANTIO GLOBI MUSICI <i>ROLLING STONES</i> LATINE REDDITA.....	14-15
PROFESSOR MARTINUS HADITSCH QUID SENTIAT DE STATU PANDEMIAE.....	16-25
FABELLAE GRIMMIANAЕ (109 & 110).....	26-30
GLOSSAE ORBIS PICTI HEXAGLOTTI (V).....	31-35
CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA.....	36-39
DE SELLAE FAMILIARICAE RATIONIBUS TECHNICIS.....	40-51
ECHUS VOCES ET EPISTULAE.....	52-56
CORRIGENDA ET SUPPLENDА.....	57
LIBRI LEONIS LATINI.....	58-61

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.



Cara Lectrix, Care Lector,

noctuas Athenas ferrem, si tibi explicarem parabolam antri et umbrarum Platonis illustrissimam. Nam pro certo habeo te studia humaniora amplexum hanc parabolam nosse a primis pueris. Permittas tamen, ut argumenta eiusdem praecipua comprehendam brevissime: Aliquot captivi ex quo nati sunt vivunt in quodam antro. Qui mundum externum numquam viderunt, nihilque neverunt nisi miserrimam vitam suam subterraneam. Muro alicui sunt catenis affixi, caput cum vertere non possint semper oculos coniciunt in parietem adversum. Post eos supra murum ignis ardet, qui lucem emittit tenuem. Interdum post captivos homines ignem praetereunt. Qui secum

portant bestias aut figuræ, quarum umbrae apparent in pariete, ut a captivis spectentur.

Captivi autem, qui numquam aliud aspexerunt quam has umbras, iisdem nomina imponunt. Eisdem hominibus persuasum est umbras esse vera animalia.

Itaque de umbris loquuntur animo pio atque inflammato credentes oportere, ut umbrarum sint quam peritissimi, quo vita sibi succedat felicissimè.

Aliquo die cuidam captivo id contingit, ut se ex antro liberet et aufugiat in mundum externum. Primum luce solis lucidissimâ obcaecatus paulatim incipit videre et animadvertere, quam varia, quam vivida, quam amoena, quam iucunda multa sint sibi circumiecta. Fugitivus nunc cognoscit veras formas rerum, quas usque id tempus non cognoverat nisi formâ umbrarum instructas; nunc videt veros cuniculos et aves et flores et homines et animata et non-animata necnon caelum stellasque. Ei explicatur hîc foris omnia esse vera, sed umbras illas in antro visas nihil fuisse nisi vana figmenta. Primo hoc credere non vult, sed mox ei persuadetur observanti, quomodo sol luce suâ efficiat imagines rerum verarum umbrosas. Nunc intellegit veritatem esse tridimensionalem, sed umbras habere duas tantum dimensiones.

Deinde fugitivus redit in antrum et ceteris captivis ibi relictis animo inflamatissimo narrat, quae et quanta foris expertus sit. At nemo ei credere vult. Fugitivus

captivis benefacturus conatur eosdem liberare, sed illi recusantes eum dicunt esse mente captum. Nam idem oculis ad lucidam solis lucem assuefactis umbras tenebrarum non iam recte cognoscit neque iam credit easdem esse alicuius momenti. Itaque antrum eidem non iam est locus vivendi, hic non iam est persona grata, immo non potest quin tineat ne eiciatur neve interficiatur.

Nunc, cara Lectrix, care Lector, finge animo, quatenus hoc antrum tenebrosum a philosopho omnium maximo excogitatum simile sit mediano nostro, in quo sub condicione pandemicâ magnam partem temporis nostri degamus, immo, quarantaenâ coacti sumus captivi mediano inclusi, quod est antrum nostrum, ex cuius pariete suspensum est magnum visificium (angl. screen, theod. Bildschirm). Expensis coacticiis solutis aspectamus parietem, in quo umbrae apparent bidimensionales, quas nobis videntur esse reales. Nos spectatores, qui eventus numquam aliter experti sumus quam formâ umbrarum monstratos, iisdem imponimus nomina et de iisdem loquimur animo pio atque inflammato credentes umbras esse animalia vera et oportere, ut umbrarum simus quam peritissimi, quo maximè aestimemur a conspectatoribus nostris. Nonnulli nostrum ex antro se liberant et fugiunt in mundum externum. Primum luce solis obcaecantur,

sed deinde incipiunt videre et cognoscunt realitatem umbris parum esse similem.

Vident manifestationem, ubi nequaquam neonacistae mulcant vigiles publicos, sed vident vigiles, qui cives inermes et pacificos in pavimentum prosternunt, quia mascam non gerunt. Numerant centum milia manifestatores, quamquam in nuntiis televisoriis audiverunt tantummodo de aliquot milibus. Paene semper, si ipsi testes fiunt eventuum gravium, experientia eorum vix similis est illis umbris televisorii, quas in antro suo viderunt.

Nunc fugitivi redeunt in antra sua et narrant, quae foris experti sint, sed nemo iisdem credit. Conantur captivos ex hypnosi excitare, sed isti summâ vi illos repellunt. Nam fugitivi cum nunc oculis ad lucidam realitatis lucem assuefactis umbras visificiorum non iam credant esse vera atque realia, in suspicionem venientes fiunt ceteris ingratissimi.

Inter captivos nunc convenit fugitivos quos habent pro invasoribus, non solum esse mente captos, quia denegent umbras parietales esse reales, sed etiam periculosos. Itaque iisdem nomina imponunt ignominiosa atque increpatoria, qualia sunt

„blaterones“ et „viri nocentes“ et „covidiotae“ et „denegatores coronae climatisque“ et „gestores petasorum alumineorum“ necnon „vultures pandemiae cadaverales“. Quos electant e societate suâ et magnâ cum superbiâ mores suos parum sociales appellant „cultum cancellandi“ - iste cultus est unicus iisdem relictus, nullus iam restat cultus civilis humanusque. ...

Plato autem, cara Lectrix, care Lector, instrumentum nobis commendat, quo nos liberemus ex antro: suadet nobis, ut studeamus philosophiae idearum cognoscendae, ut mentes nostrae illuminentur. Recordemur verba quae facit Aeschylus in Prometheus vincto: ΘΟΛΜΗΣΟΝ φΡΟΝΕΙΝ, quae Horatius Latinè reddidit his q.s. SAPERE AUDE !

Utamur et animo et mente, simus fortes et prudentes. Ne credamus mendacia diurnariorum, iamiam desinamus narratiunculas (vel „narrativas“) habere pro rebus verè factis.

Etiam in hac Epistulâ Leoninâ (251) multa invenies lectu digna: laeta et seria, gravia et levia, credibilia et incredibilia. De singulis argumentis iudica mente tuâ ideis Platonicis illuminatâ, scribe mihi quidquid tibi in buccam venerit. Sequere verba prophetae Eliae: Butyrum et mel comedete, ut scias reprobare malum et eligere bonum.

*Pancreticē vale et perge mihi favere.
Medullitus te salutat...*

**Dr. Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

**Die Saturni
29. m.Dec. a.2021**

ANTRUM PLATONICUM



Tabula aenea, quam a.1604 Jan Saenredam confecit secundum picturam oleariam Cornelii van Haarlem

Maxima pars hominum caecis immersa tenebris
 vovit assidue, et studio laetatur inani
 Aspice ut obiectis obtutus inhaereat umbris,
 ut VERI simulacra omnes mirentur amentes.

Et stolidi vana ludantur imagine rerum
 Quam pauci meliore luto* qui in lumine puro
 Secreti a stolida turba, ludibria cernunt
 Rerum umbras rectaque expendunt omnia lance:

Hi posita erroris nebula dignoscere possunt
 Vera bona, atque alios caeca sub nocte latentes
 Extrahere in claram lucem conantur, at illis
 Nullus amor lucis, tanta est rationis egestas.

*meliore luto: cfr IUV.14,34 quibus meliore luto finxit praecordia Titan. Georges: „aus besserem Ton = aus besserem Stoffe“.

CHRONOGRAMMA DEMMINGIANUM

PRO TVIS

DVCENTIS QVINQVAGINTA EPISTOLIS

EXQVISITIS

GRAVIBVS

PERVTILIBVS

LIBERIS

TIBICARE LEO LATINE

GRATES HABEO MAGNAS

Hdf

**HOC CHRONOGRAMMA
ARTIFICIOSE COMPOSUIT
IOHANNES (HANS) DEMMING
MONASTERIENSIS**

CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA

Zum 20. Januar, dem **Fest der heiligen Fabian und Sebastian:**

2022* Ista Magna et fortIa MartYria FabIanI et SebastIanI totIs nobIs sVbVenIant. – Diese bedeutenden und harten Martyrien von Fabian und Sebastian mögen uns allen zur Hilfe kommen. – Papst Fabian (236-250), Sebastian (um 302)



Breviarium Grimani: FABIANUS ET SEBASTIANUS

Zum 21. Januar, dem **Fest der heiligen Agnes:**

2022* Agnes pIat fortIs et MarIa Mater IesV, orate pro totIs nobIs paVperIbVs! – Fromme, starkmütige Agnes und Maria, Mutter Jesu, betet für all uns Armen!

Zum 25. Januar, dem **Fest der Bekehrung des heiligen Paulus:**

2022* eIa, SaVLe, eIa, SaVLe, qVID Me perseqVerIs? - qVIes es? - et ILLe: IesVs a te InseCtatVs. - SaVLVs ConVersVs et CVratVs est. – Hallo, Saulus, Saulus, warum verfolgst du mich? – Wer bist du? – Und jener: Jesus, der von dir verfolgt wird! – Saulus hat sich bekehrt und wurde geheilt. – Apg 9, 4.5.18



Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

Zum 28. Januar, dem **Fest des heiligen Thomas von Aquin:**



2022* pangIte LIngVa ThoMae AqVInatIs pII DoCtorIs eCCLeSiae opera fortIa phILosophIae et theoLogIae. - Besingt mit der Zunge die gewaltigen philosophischen und theologischen Werke des frommen Kirchenlehrers Thomas von Aquin! - Der Beginn des Chronogramms unter Benutzung des Beginns des von Thomas stammenden Hymnus „Pange lingua gloriosi corporis mysterium“ zum Fronleichnamsfest

**PIA CHRONOGRAMMATA
ARTIFICIOSE CONFECIT
P. HERBERTUS DOUTEIL
BRASILIENSIS**

CANTIO GLOBI MUSICI

Q.D. ROLLING STONES LATINE REDDITA

Satisfactio*

*Re nulla possum delectari,
re nulla prorsus,
id, tamen, conor experiri,
conor iterum iterumque,
hoc autem nullo modo possum consequi,
nullo modo ...*

**Cum meum rego autocinetum
et locutor ille molestus ex radiophonio sua voce erumpit,
qui mihi res nullius momenti enarrat,
fors, meam imaginandi vim ita se putat incendere,
ego autem in me nil tale queo efficere,
nequeo, nequeo, nequeo, hei, hei, hei ...**

hoc adfirmo vehementer.

*Re nulla possum delectari,
re nulla prorsus,
id, tamen, conor experiri,
conor iterum iterumque,
hoc autem nullo modo possum consequi,
nullo modo ...*

**Cum televisifici instrumenti specto programmata
et homo quidam ex eo tamquam appareat
qui se scire adseverat quomodo subculae meae candidae efficiantur,
ille – dico mihi – verus homo esse non potest,
quia ex iisdem fistulis nicotianis non haurit fumum,**

**quibus ipse utor,
at ego nulla voluptate afficior
eamque in me nequeo sentire, nequeo, nequeo, hei, hei, hei ...
hoc adfirmo vehementer.**

***Re nulla possum delectari,
nec ullam ab ulla puella respcionem accipio,
id, tamen, conor experiri,
conor iterum iterumque,
hoc autem nullo modo possum consequi,
nullo modo ...***

**Cum orbem terrarum pervagor,
vel scripto cuidam subscribo,
aut templo quomodo aliquam possim irretire virginem,
quae me autem, sic, me rudis adloquitur:
“ocelle mi, in hebdomadam venturam ad me redeas oportet, non autem
nunc.**

***Non enim scis me, hoc temporis momento, nigra pati vitae adiuncta?”,
ipse ex hac re nullam capio oblationem,
immo, in me eam minime sentio, minime, minime, hei, hei, hei ...***

hoc adfirmo vehementer.

***Re nulla possum delectari,
re nulla prorsus,
id, tamen, conor experiri,
conor iterum iterumque,
hoc autem nullo modo possum consequi,
nullo modo ...***

*De cantione agitur quam globus musicus “Rolling Stones”, a. MCMLXV composuit.

Maurus Pisini Latine vertit

PROFESSOR MARTINUS HADITSCH

MEDICUS MICROBIOLOGUS VIROLOGUS EPIDEMIOLOGUS

QUID SENTIAT DE STATU PANDEMIAE



Prof.Dr.med.Dr.phil. Martin Haditsch

<https://www.youtube.com/watch?v=IIHDPGP4XhQ>

Pandemie: Strategie und Impfpflicht

396.161 Aufrufe

16.01.2022

Communitas aestimata,

primum intimo ex corde gratias agere velim pro epistulis numerosis, quarum nonnullis animus meus commotus est. Simul me excuso, quod usque nunc non potui respondere aliquot centum epistulis. Thēma plerarumque epistularum praecipuum fuit „vaccinatio“ qualis dicitur. Quod ad eandem attinet, doleo me nondum satis bono cum successu conatum esse explicare substantias, quae hōc tempore sub hōc nomine exhibeantur, non esse vaccina sensu proprio meque hac de causā malle loqui de *cuspīdationē¹ deque substantiis cuspīdatis. Si notiones cuspīdandi et vaccinandi consequenter inter se distinguerentur, animadverteretur in cohaerentiā cum morbo coronae omnino non exstare notiones quae sunt vaccinatio, vaccinatio redintegrata, obligatio vel coactio vaccinationis.

¹ orig. das Spiken. cfr angl. spike i.q. cuspis,-idis f. cfr Cassell's New Latin-English English-Latin Dictionary, 5th ed., London 1975, p.836: „**spike**, **clavus**, **cuspis**“. Verbum temporale, angl. to spike, theod. spiken: cfr ThLL 04,1552,30-32: cuspido, -ātus, āre [a cuspis, Th.] i.q. acuere: PLIN.nat.11,126 alii praefixa hastilia -ant. 18,179 purget vomerem subinde stimulus -atus rallo. - de origine huius termini technici biochemici cfr <https://www.mpg.de/14652142/corona-spike-protein>: „...Das Glykoprotein Spike verleiht dem Coronavirus seinen Namen: Wie Zacken einer Krone stehen die Moleküle von der Virushülle ab...“ - cfr <https://de.wiktionary.org/wiki/Spike-Protein>: „**Bedeutungen:** [1] Biochemie, Medizin: Eiweißmolekül (Protein), das (wie eine hervorstehende Zacke) auf der Umhüllung eines Kerns/Virus sitzt und dazu dient, an Rezeptoren von Wirtszelle anzudocken.“

Omnis conatus obligationem vaccinationis coronariae cum morbillorum obligatione vaccinatoriâ comparandi ultiro in vanum abierunt. Ex illis, qui me vituperant talia inter se opponentem, velim quaerere rem simplicem: Quanta copia substantiae, quae valet et agit ratione immunologicâ – quae in vaccinationibus oportet exactê definiatur – non loquor de mRNA, sed de *proteino cuspideo*¹ – sistema immunitatis iniectione factâ necesse est pertractet? Haec est enim quaestio, cui usque nunc nondum est responsum.

Breviter respondebo quaestioni saepe mihi positae, quae spectat ad *vaccina inactivata*². Illae multae quaestiones apertae, quae cohaerent cum substantiâ geneticâ ipsi mRNA aut etiam multis vaccinis vectoriis insitâ, scilicet in vaccinis inactivatis tractandis non ponendae sunt. At 3 rationes tamen respiciendae sunt. 1). Etiam hae substantiae adhuc sunt in phasi 3, sunt igitur adhuc experimentales. 2). Etiam hae substantiae continent substantias, quae quales sint, adhuc parum experti sumus. 3). Ut in omnibus iniectionibus contra coronam factis, sic etiam *substantiae defensoriae*³ hoc processu effectae, i.e. ipsa *anticorpora*⁴, possint esse pars problematis ipsius, quia e.g. efficiunt reactiones immunitatis nimis vehementes aut possint aggredi structuras corporis proprias – qualis aggressio appellatur *aegrotatio autoimmunitatis*⁵. Dum in hac re non habemus numeros atque resultata satis certa – et haec non fient nisi per aliquantum temporis longius – equidem adhuc cautior sum quam ut desinam monere.

Nunc autem veniam ad argumentum hodierni scopocinemati⁶ praecipuum. Habemus documentum mirum atque insigne collegae cuiusdam eminentis, *Professoris Ehud Kimron*, directoris departimenti microbiologiae, quod est in Universitate Telavivensi, et unius ex Israeliae immunologis eminentissimis. Qui scripsit epistulam apertam, in qua israelianam – ideoque sensu translato etiam, si rem accuratê consideramus, dispensationem globalem pandemiae víri coronarii acriter vituperavit.

¹ *prōteīnum +cuspideum orig. *Spikeprotein*. +cuspideus, -a, -um cfr nomen zoologicum: *Euclidia cuspidea* (insectum). cfr https://www.stuttgarter-nachrichten.de/inhalt.grundlagen-wissen-corona-was-ist-ein-spike-protein.31272_653-a358-49cf-8d2d-65fc1e6761f4.html: „Das **Spike-Protein** ist ein Baustein des **Coronavirus**, der an seiner Oberfläche sitzt. Es bedeckt die Oberfläche des Corona-Virus **wie Stacheln oder Dornen** und ist daher gut für unser Immunsystem erkennbar. Das Virus braucht das Protein, um Zellen zu befallen und sie so zu infizieren....“


² vaccīnum *ināctīvātūm angl. *inactivated vaccine*; theod. *Totimpfstoff*.

³ substantia dēfēnsōria – orig. *Abwehrstoff*.

⁴ *anticorpus, -oris n. orig. *Antikörper*.

⁵ aegrōtātiō *autoimmūnitātis orig. *Autoimmunerkrankung*.

⁶ *scopocīnēmatiūm, -ī n. orig. *Videoclip*.



PROF. EHUD KIMRON IMMUNOLOGUS

Manifestum est his annis duobus austriaca gubernatio foederalis et diurnarii generales ibi, ubi agebatur de coronâ, iterum iterumque Israeliam commemorabant tamquam exemplarem. Evidem nunc etiam utar exemplo Israeliae. Exemplum autem non furatus sum, sed Prof. Kimron mihi officialiter permisit, ut hanc epistulam hîc recitarem. Quae epistula ex israeliano (*hebraico*) sermone in anglicum, et ex anglico in theodiscum sermonem conversa est, itaque fortasse huic versioni theodiscae insunt nonnullae locutiones parum accuratae, sed confirmo vobis argumenta praecipua procul dubio esse servata. Nunc ad epistulam:

„Tempus est errores confiteri. In fine semper veritas veniet ad lucem, et veritas rationis politicae coronariae nunc incipit revelari. Si consilia destructiva, unum post alterum, collabuntur, nihil aliud restat nisi ut dicatur hoc iis, qui direxerunt pandemiae dispensationem. Nos autem iisdem hoc diximus. Duabus annis seriis quam oportuit tandem cognoscitis vírus viarum respiratoriarum non posse superari, et omnem conatum hoc faciendi frustra fieri. Vos hoc non confitemini, quia his duabus annis praeteritis nullum ferê mendum confessi estis, sed a posteriori clarê patet vobis omnia ferê incepta flebiliter evasisse. Nunc ipsis diurnariis aegrê contingit, ut pudorem suum dissimulent. Vos adversus observationes et cognitiones scientificas per annos factas recusavistis, ne concederetis infectionem fieri per undas, quae ultro evanescerent. Vos perseverastis omnem recessum undae sine ullâ exceptione adscribere vestris actionibus, ut falsâ commendatione

propagandâ praetexeretis vos superavisse pestem ipsissimam – quod praetexistis iterum iterumque. Recusavistis, ne concederetis probas massales¹ nullum habere effectum, quamvis hoc explicitê praecipiatur in consiliis vestris casûs necessarii (cfr Consilium Promptitudinis Systematis Valetudinis Influentiae Pandemicae a.2007, p.26). Recusavistis, ne concederetis reconvallescentiam melius protegere quam vaccinum, quamquam prioribus cognitionibus observationibusque patuit homines vaccinatos antea numquam infectos verisimilius infici quam homines, qui reconvaluerant. Adversus observata noluistis concedere vaccinatos posse alios inficere. Itaque speravistis vaccinationibus vos adepturos esse immunitatem gregalem, sed etiam haec res vobis non prosperê successit. Vos adversus cognitiones iam a.2020 ex Chinâ acceptas perseverastis ignorare morbum coronarium gregibus vulnerabilibus et adultis aetate proiectis duodecies periculosiorem esse quam iuvenibus, qui non participes sunt gregum vulnerabilem.

Vos recusavistis ne comprobaretis Declarationem Barringtonianam, cui plus 60.000 scientistarum et medicorum subscripserunt, aut alia programmata sanae mentis humanae. Vos decrevistis ut talia programmata irridere, ut diffamaretis, ut falsaretis, ut credibilitate privaretis. In loco aptorum programmatum atque hominum peritorum vos elegistis homines, qui parum apti parumque eruditî essent ad pandemiam dispensandam. Summos consiliarios gubernationis elegistis physicos et veterinarios et officiarios securitatis et cooperatores diurnarios eqs. Nullum efficax systema instituistis, quo nuntiarentur effectûs secundarii vaccinorum, immo, relationes de effectibus secundariis deletae sunt in vestrâ paginâ Prosopobiblia². Medici nolunt causam detrimentorum valetudinis referre ad vaccina, ne vos eos persequamini ita ut collegas eorum persecuti estis. Vos neglexistis multas relationes de intensitate menstruationis temporumque cycli mutatâ factas. Vos numeros resultataque occultavistis, quibus fieri potuit requisitio apta atque obiectiva, e.g. data sustulistis epibatarum aeriportûs Ben Gurionis. In loco eorum decrevistis, ut unâ cum ducibus Pfizerianis symbolas publicaretis falsas de efficientiâ atque securitate vaccinorum scriptas.

¹ **proba massâlis** theod. *Massentest*.

² ***Prosôpobiblion**, -ī n. angl. *Facebook*.

At ὅβρις vestra tam immensa fuit, ut ignoraretis in fine veritatem patefactum iri. Quae nunc incipit patefieri: Verum est vos effecisse, ut cives vobis minus confidant quam umquam antea et auctoritas vestra subverteretur. Verum est vos his duobus annis praeteritis aliquot centum miliardas siclorum¹ dilapidavisse, ut civibus timorem iniceretis, ut probas institueretis inefficaces, ut quarantenas praeciperetis destructivas, necnon ut deleretis vitam cottidianam. Vos destruxistis nostrorum liberorum eruditionem atque spes cursūs vitae futuri. Vos parvulos coegistis, ut sibi viderentur nocentes esse, ut timerent, ut fumificarent, ut alcohol biberent, ut drogis obnoxii fierent, ut eruditionem abrumperent, ut inter se rixarentur – quod nobis affirmant directores scholarum ubique in terrā nostrā. Vos afflixistis fundamenta vitae – oeconomiam, iura hominum, valetudinem mentalem et corporalem. Vos collegas diffamavistis, qui se vobis non dediderant; vos homines alios contra alios instigavistis, societatem dissociavistis et disputationes in utramque partem faciendas vos depravastis in rixas acerbissimas. Hominibus, qui statuerant, ne vaccinarentur, a vobis sine ullo fundamento scientifico nota inusta est hostilitatis et disseminationis morborum. Vos singulariter more Draconeō efficitis discriminationem hominum detrimentosam iurumque recusationem et selectionem hominum ipsis infantibus inclusis ad usum medicinalem, selectionem, inquam, cuius rationem epidemiologicam affertis omnino nullam. Si rationes vestras politicas destructivas cum rationibus aliarum terrarum (Haditsch: equidem dicerem: „paucarum“) comparaveritis, clarē cognoscetis destructione a vobis effectā victimas additas esse, quarum numero superatur numerus illarum, quae vīro mortuae sunt coronario. Oeconomia, cuius ruinas effecistis, et parvuli, quorum eruditionem destruxistis, sunt victimae minimē necessariae non effectae nisi vobis auctoribus. Repeto: victimae sunt minimē necessariae non effectae nisi vobis auctoribus. Hōc tempore nullus valet status summae necessitatis medicinalis. At vos talem statum ex duobus annis colitis servandam cupiditate potestatis et pecuniae et supervisionis inducti. Unicus status necessitatis in eo est, quod vos non desinitis normas statuere et ingentes summas pecuniae praescribitis erogandas ad commendationem propagandam et bellationem psychologicam pro eo, ut tandem curetis sistema valetudinis confirmandum. Oportet autem isti statui necessitatis

¹ **siclus**, -ī m. cfr. „siclus“, ī, m. (σίκλος, das hebr. שְׂכָל), der **Sekel**, Silberling, eine hebräische Münze, Vulg. exod. 21, 32 u.a. Hier. in Ezech. 1, 4, 9; vgl. ...“ Wörterbucheintrag Latein-Deutsch zu »siclus«. Karl Ernst Georges: Ausführliches lateinisch-deutsches Handwörterbuch. Hannover 1918 (Nachdruck Darmstadt 1998), Band 2, Sp. 2653.

tandem imponere finem. Professor Tahud Kimron, Medizinische Fakultät, Universität Tel Aviv.“ ---

Hac epistulâ recitatâ dicendum est ea quae hîc sunt exhibita, valere ad multas terras occidentales, necnon ad Australiam. At tota ista narratio pandemica etiam in multis terris aliis democraticis, velut in Austriâ et Germaniâ et Helvetiâ, incipit paulatim et gradatim fieri incredibilis. Interim sat bene innotuit unum ex fabricatoribus, cum peteret permissionem medicamenti ad usum summae necessitatis (quae in USA appellatur *Emergency Use Authorization*), falsavisse numeros. Administratio nutrimentorum medicamentorumque (*FDA = Food and Drug Administration*) causâ judiciali coacta est, ut acta permissionis, quorum editio per decennia potuisset differri, éderet intra spatium 8 mensium. In Lusitaniâ officialiter declaratum est illorum hominum, qui omnes dicerentur mortui esse morbo covidiano, tantummodo 0,9% reverâ esse hôc morbo interfectos. In terris, ubi minus *cuspidatum* est, sunt etiam pauciores mortui. In Germaniâ (verisimile est in Austriâ rem se habere similiter) mensibus aestatis ultimis, quibus corona ferê nullam iam vim habuit, inventa est insignis *supermortalitas*. Athletae numerosi post *cuspidationem* (quae falso dicitur „*vaccinatio*“) questi sunt de molestiis, quibus non iam possunt athleticam exercere. Index hominum, etiam iuvenum, qui mortui sunt „*subito et inexpectatê*“, in dies fit longior. Cum nonnulli contenderint *myocarditidem*, i.e. inflammationem cellularum cordis, quâ homines iuniores affecti sunt, esse morbum minus gravem, eorum sententia refutatur cum ceteris tum disquisitione germanicâ, quâ inventum est 40% horum iuvenum intra decennium mortuas esse. Medica quae curat aeroplanigas milites Americanos, postulat, ne iidem *cuspidati* si essent aëroplanum pergant gubernare nisi eorum cordibus et functione myocardiorum quam diligentissimê disquisitis. *Proteinum cuspideum*, quod post injectionem ipsius mRNA fabricatur a cellulis corpori propriis, ad nonnullas corporis structuras, ut ceterum experimento bestiario est demonstratum, effectum habet *toxicum*, i.e. habet vim veneni. Idem dicendum est de *nanoparticulis*, quae adhibentur in mRNA-vaccinis. In praecepsis horum vaccinorum scriptum erat: *Adhibeatur tantummodo ad investigationem. Ne adhibeatur ad homines curandos.* - Cum ista vaccina latius innotescerent, hoc commentariolum deletum est. ---

Numerus suicidiorum, praesertim conatum suicidiorum a parvulis et adulescentibus factorum, multis locis auctus est.

Paulatim etiam ipsi diurnarii *mediorum massalium* (qualia dicuntur) animadvertunt veritatem ad lucem urgeri, neque narrationem pandemiae hac formâ non iam posse servari. Homines magis magisque se liberant ab isto rigore timoris, ab istâ *infectophobiâ*. Scaenarium horroris initiale, quo narratum est de montibus cadaverum pandemiae effectu accumulatis, numquam ad veritatem adductum est. Deinde hominibus *timor panicus* iniectus est eo quod narrabatur periculum esse, ne *stationes nosocomiorum intensivae* ultra modum occuparentur. Cum etiam haec annuntiatio aterrima non esset vera facta, Cassandrae officiales minaciter nuntiaverunt egestatem nosocomorum gerontocomorumque calamitosam, qualis iam ante pandemiam, praesertim tempore influentiae autumnali, fuerat, sed a magistratibus vix sublata est etiam intra annum pandemiae primum. Excusatiunculae, quae ex officio afferuntur ad libertatem civium deminuendam, magis magisque fiunt irrationales et saepe variantur. Quae carent omni evidentiâ.

Perturbatio, quae consulto efficitur talibus praeceptis, non iam apta est ad homines decipiendos et nunc verus finis gubernantium quodammodo delarvatur incepto obligationis vaccinatoriae, quae, quantum spectat ad medicinam, prorsus vacat omni sensu sano atque rationali. Quonam fine imponenda sit talis obligatio vaccinatoria? Afferam vobis nonnulla argumenta. In dies plures homines sciunt: Ista substantiae adhuc sunt in phasi disquisitionum tertîâ, i.e. sunt experimentales. Secundum fontes internationales, sed etiam secundum *Agenturam Austriacam Valetudinis atque Securitatis Nutrimentorum* (AGES) nuntiantur tantummodo 5-6% effectuum secundariorum. Sed ipsis his copiis indicatis superantur omnes numeri effectuum secundariorum, qui prius indicati erant in indice *Agenturae Medicamentorum Europaeae* (EMA). Necnon in Americano indice huiusmodi (qui appellatur VAERS, i.e. *Vaccine Adverse Event Reporting System*) indicata detrimenta *cuspitatione coronariâ* effecta longê superant omnia usque nunc observata detrimenta medicamentorum. Uno tantum anno, quo iniectae sunt *substantiae cuspideae*, plura detrimenta (etiam mortifera) effecta sunt quam viginti quattuor annis antea omnibus vaccinis omnis generis alîus. Ceterum – ut infirmem argumentum contrarium, quod interdum affertur: etiamsi alter quisque nuntius

detrimenti emptus esset ab adversariis vaccinandi, tamen liceret tranquillâ cum conscientiâ numeros nuntiatos factore 10 multiplicare, ut aliquatenus aestimari possit dimensio problematis. In *substantiis cuspidis fabricandis* adhuc ut exempla *immunificationis* adhibentur partes superficiales vîri originalis *Wuhaniensis* – quod non iam circulatur. Istac methodo ûti tam ineptum est, quam esset – ut utar comparatione ficticiâ – hōc anno 2022 homines contra influentiam vaccinare illo vaccino influentiali, quod adhibitum est a.2016. Iam in antecessum potuit intellegi in vaccinationibus inter pandemiam factis illa *metallagmata* (mutationes geneticas) superatura esse, ad quae *status hominum cuspidatorius* non quadraret, i.e. quae *cuspidatione* non possent inhiberi. Resultatum nunc apparet: *metallagma*, quod appellatur *omicron*. Quod est infectiosius, sed minus morbificum. Etiamsi numeri infectionum valdê augentur, plerumque stationes intensivae non magis onerantur quam antea. Infectiones et translationes virales fiunt aequaliter a *cuspidatis* et a *non-cuspidatis*, i.e. *cuspidatione* nulla efficitur differentia, casûs autem graviores sic quoque rari facti sunt.

Laetabile autem est isto stratagemate perspecto in dies plures homines cognoscere reverâ non iam agi de problemate medicinali, quia in praecepsis gubernationis ne minima quidem causa medicinalis appareat sanâ ratione explicabilis. Scio mox in Austriâ et aliquanto serius in Germaniâ *suffragia latum iri de generali obligatione vaccinatoriâ*. Recordamur nos omnes illam sententiam et affirmationem gubernationis quae fuit: „*Non erit ulla obligatio vaccinatoria*“. Sentio omnem qui hanc affirmationem eaque quae eandem secuta sunt acceperit, cognoscere, quantum valeant promissa gubernantium. Patet autem gubernantes magis magisque sollicitari. In Austriâ dicuntur suffragia a deputatis consilii nationalis latum iri apertê. Quod equidem comprobo. Huic enim modo suffragia ferendi id inest commodum, quod populus sciet, quomodo se gesserint mandatarii a se electi. Necnon commodum alterum etiam plus valebit, si umquam fiet *iudicium alterum Norimbergense propter scelus contra humanitatem commissum*. Ceterum istud scelus vetustate non infirmatur.

Si considerantur res nuper factae, cognoscitur: ***ventus incipit verti***. Verisimile est plures pluresque gubernantium cognoscere istud experimentum non posse bene evadere. Quam amarum erit nonnullis

hominibus cognoscere se esse deceptos et expilatos et fortasse propter scientiam suam fraudulenter adhibitos esse. Et argumenta medicinalia et iuridica inter pandemiam his duobus annis praeteritis successivē auctoritate orbata sunt. Politici sibi arrogaverunt ius omnes res ad pandemiam spectantes interpretandi. Hac de causā problema, quod nobis nunc imminet, solvi neque potest ratione medicinali neque iuridicā, sed non nisi politicā. Dimensio totius rei politica nuperrimē patefacta est declaratione *Praesidis Ghanae* – ut mihi videtur, animosā atque laudabili. Commendo spectatoribus omnibus, ut audiant hanc declarationem.

Evidem moneo omnes responsales: *,Dimittite populum tamquam obsidem captum remediis coacticiis semper variabilibus nullā causā rationali impositis! Desinite vexare homines, praesertim infantes! Finite democratiae destructionem, quae fit sub praetextu necessitatis medicinalis, qualis cum numquam valuerit, praecepta coronaria in dubium vocanda sunt. Omnis responsalis, cui restitit pauxillulum probitatis, oportet sincerē se excuset coram populo et a munere suo eiuret, dum hoc facere potest potestate propriā.* Patet omnes iam oblitos esse, quare praecepta coronaria adhuc valeant et quare de novis adhibendis adhuc agatur. Quantum scio, causa est „*necessitas pandemica ad totam nationem valens*“. At talem neque umquam habuimus, neque habemus, et verisimillimum est nos eandem – saltim quod spectat ad omicron – numquam esse habituros. Sed *nonnisi exstat talis necessitas et demonstrari potest* – eā tantum sub condicione neque ullā aliā, certis spatiis temporis indicatis et continuā cum reinspectione – *licet infirmare iura fundamentalia*.

Evidem rogo actores publicos et iudices et aulam iudicij constitutionalis et medicos et sacerdotes et magistros et professores: *Utinam reminiscamini professionis vestrae moralitatem et agatis secundum eandem!*

Haec non declaro, quia peto aliquod commodum politicū, sed quia, ut sum medicus, valdē sollicitor de valetudine corporis et animae hominum nostrorum, quorum *alii* rem publicam magis magisque criticē considerantes resistantiae student – quo scilicet fiat, ut vexentur continuā intentione laboriosā – *alii* inopes cum sint, animis fractis desperant. At inde exoritur vera difficultas medicinalis, quae nobis est superanda.

Necnon damna atque detrimenta valetudinis iam illata neque iam evitabilia nobis per annos restabunt curanda et resarcienda. At ut accuratius dicam: omnino nondum scimus perpendere, quot et quanta problemata nobis immineant solvenda. Ut haec perficiamus, certissimē egebimus ingenti energiā. Manete critici et constantes! Sed etiam servate pacem et reminiscimini, quantum valeant tales notiones, quales sint *caritas proximorum* et *reconciliatio* et *vinculum humanitatis* et *amicitia* et *familia* et *confidentia* et *respectus* et *democratia* necnon *libertas*.

Quantum valeat *valetudo*, his diebus verbis efferri non debet. Interim multi homines intellegunt, quam dubia sint multa remedia praecepta, sed aspectu suo non agnoscuntur ab aliis similiter cogitantibus. Ut infirmemus argumentum, quo dicuntur homines criticē cogitantes esse paucos et segreges et solitarios, *multum valet nos esse agnoscibles*. Nuper „*Patronis mentis illuminandae Austriacis*“ naviter adiuvantibus nos condidimus *initiativam*¹, quam etiam extra Austriam commendavi participandam. Rogo vos, ut geratis *armillam albam silicono confectam!* Tales armillas quotquot vultis in interreti vobis comparare poteritis. Verba, quibus explicatur, quid haec armilla valeat, sunt haec: *Nos hanc armillam gerimus symbolum, quo declaremus nos origine, sexu, sexuali inclinatione, religione, statu immunitatis neglectis defendere libertatem atque democratiam, communicationem mutuo respectu atque pace insignem, e contra nos recusare licentiam politicam, delationem, emarginationem², disinformationem³, coactionem, dictaturam, fascismum valetudinis, iniectionem timoris.*

Nolite timere! In fine omnia fient bona. Nisi autem bona erunt, nondum erunt finita.

Intimo ex corde vos salutat,
vester

Martinus Haditsch

¹ ***initiatīva**, -ae f. cfr Acta Apostolicae Sedis 69,371.

² ***emarginātiō**, -ōnis f. cfr Acta Apostolicae Sedis 90,513.

³ ***disinformātiō**, -ōnis f. theod. *Desinformation*.

FABELLAE GRIMMIAE

109. De camisiolâ funebri

Alicui matri erat puerulus septem annorum, qui erat tam pulcher et amabilis, ut nemo eum aspiceret nisi diligeret; nec mater ullum aliud tantopere amavit quam hunc filiolum. Nunc factum est, ut puerulus subito in morbum incideret et a Caro Deo auferretur; huius mortis matri nullum fuit solacium, ut eadem fleret die noctuque. Paulo post puerulus, cum esset sepultus, nocte apparuit in iis plateis, ubi alioquin vivus consederat et luserat; mater cum lacrimabat, puerulus quoque lacrimabat, et primâ luce evadebat. Cum autem mater non desineret lacrimare, quâdam nocte puerulus apparuit albâ camisiolâ funebri indutus, quâ indutus arcae funebri erat impositus, et capite coronulâ obtecto, ad pedes matris consedit in lecto, et: »Heus mater« inquit, »desine lacrimare, alioquin non possum obdormiscere in arcâ meâ funebri, nam non siccescit camisiola mea funebris lacrimis tuis, quae omnes cadunt in illam.« His verbis auditis mater territa desit lacrimare. Nocte autem sequenti puerulus reversus manu tenens lucernulam: »Viden'?« inquit »nunc camisiola mea mox erit sicca, et ego in sepulchro meo dormiam quietê.« Tum mater Caro Deo maerorem suum mandavit eumque passa est tranquillê atque patienter, neque puerulus revertit, sed dormiebat in lectulo suo subterraneo.

110. Quidam Iudaeus quare in spineto versatus sit

Aliquando fuit vir dives servum habens, qui ei serviebat sedulē probēque, omni māne primus e lecto surgebat, vespere ultimus in eodem se collocabat, et si qui labor durus erat quem nemo volebat suscipere exanclandum, is semper primus illum suscipiebat. Neque umquam lamentatus omnibus rebus contentus erat et semper bono animo. Anno transacto dominus illi nullā mercede data cogitavit: »*Hoc optime quadrat, hoc modo pecuniae parco, et iste non abit, sed bellulē hīc remanet mihi laborare pergens.*« Servus autem tacuit, altero anno tantum laboris exanclavit quantum primo, quo exeunte iterum cum nullam acciperet mercedem, passus est et remansit etiam diutius. Denique tertio anno transacto dominus de mercede cogitans manum sacculo indidit, sed nihil pecuniae exēmit. Tum tandem servus: »*Domine*« inquit »*tibi servivi per tres annos fideliter, da mihi, te amabo, id quod iuris causā mihi dandumst: Nam abiturus sum, ut cognoscam terras longinas.*« - Tum vir ille parcepromus respondit: »*Bene, care serve, servivisti mihi impigrē, ideo oportet clementer tibi dem mercedem*«, iterum manum sacculo bracarum indidit et singillatim numeravit servo tres nummulos: »*En habes singulis annis singulos nummulos, haec est merces magna et abundans, quantam accepisses ab aliis dominis paucis.*« - Bonus autem servus, qui paululum tantum scivit de pecuniā, nummulis acceptis secum cogitavit: ,*Nunc sacculus pecuniā completus est, quidnam cures gravi labore exanclando, quidnam pergis vexari?*‘ -

Tum profectus est, sursum, deorsum, laetoque animo prosiliebat. Nunc factum est, ut servo spinetum praetereunte quidam homunculus inde prodiens vocavit: »*Quo vadis, sodalis hilaris? Video te curas tuas haud aegre ferre.*« Tum servus: »*Quidnam*« inquit, »*tristis sim? Habeo satis multum, in sacculo meo sonat merces trium annorum.*« Deinde homunculus: »*Quantinam est thesaurus tuus?*« - »*Quantus?* Sunt mihi tres nummuli integri, recte numerati«. Tum nanus: »*Audi*« inquit, »*equidem vir sum pauper et egenus, dona mihi tres nummulos, quia nullo iam modo possum operari, cum tu autem iuvenis facile laborando panem accipere possis.*« Quia servus anima fuit candida misericordiā homunculi plena, eidem donavit tres nummulos dicens: „*In nomine Dei, nihil mihi deerit.*“ Deinde autem homunculus locutus est: »*Cum videam animam tibi esse*

candidam, tibi concedo tria vota explenda, pro omni nummulo mihi dato unum votum, quod tibi expleatur.« Tum servus: »Aha« inquit, »tu es artis magicae peritus, agamus, si ita fiat, exopto mihi primo sclopetum auceps, quo usus omnia perfodiam, ad quae collineavero; secundo mihi exopto violinam, qua si cecinero, omnes cogantur ut saltent sono audito; tertio, si quem quam rem rogavero, is ne eam recuset.« Deinde homunculus: »Haec omnia habeas«, manum spineto indidit et – mirum! - ibi violina et sclopetum auceps iam praesto erant, quasi quis sibi mandavisset: quae homunculus dedit servo et: »Quidcumque« inquit »tu tibi rogaveris, ne ullus homo ubique terrarum tibi hoc recuset«.

,Eia, corculum, quid nunc tibi restat exoptandum?« servus nunc dixit sibi ipsi, et laetē iter perrexit. Paulo post incidit in Iudeum longā barbā caprinā instructum, qui stans audiebat cantum cuiusdam avis quae sedebat in arbore summā. Is evocavit: »O miraculum Dei! Tantula bestia habet vocem tam fortē! Utinam istaec mihi esset! Quisnam salem inspergat istius caudae!« - Tum servus: »Si res« inquit »est tantula, ea avis mox erit deiecta«, collineavit, et globulo emisso avis perfossa decidit in spinetum. Deinde dixit Iudeo: »I, furuncule, et avem tibi affer sumptam.« - Tum Iudeus: »Heus« inquit, »a nomine furunculi desistas, tum accurram; avem mihi afferam, quia deiecisti«, humum decubuit et coepit in frutices irrepare. Iudeus autem cum medio spineto inesset, bonus servus lasciviens violinā depositā coepit eādem canere. Statim Iudeus coepit pedes tollere et in altum prosilire et quo celerius servus chordas perstringebat, eo vehementior facta est saltatio. At spinis vestis detrita Iudei est discissa et barba caprina pexebatur, totum corpus pungebatur scalpebaturque. Tum īdem: »Vae mihi!« clamavit. »Quid mihi cantus violinae! Domine, desine violinā canere, nam nolo saltare.« - At servus non audivit cogitans: »Tu homines satis vexasti, nunc spinetum ne tibi melius faciat« et denuo violinā cecinit, ut Iudeus non posset, quin etiam altius prosiliret, et laciniae vestis spinis adhaerescerent. Tum Iudeus exclamavit: »Vae mihi! Dabo tibi, Domine, quantumcumque vis, si quidem violinā canere desieris, integrum bursam auro completam.« Tum servus: »Si tu« inquit »tam liberalis es, desinam musicam facere, sed hoc non possum quin laudem, quod saltas optimē« bursāque acceptā iter perrexit.

Iudeus autem tacitus constitit et aspexit abeuntem quietus remanens dum servus e conspectu auferretur remotissimus, deinde clamavit voce quantum

potuit maximâ: »Vae tibi, musice pessime, fidicen vilissime! Exspecta, dum te deprehendam violinae expertem! Te venabor tam vehementer, ut amittas soleas calceorum; tu furcifer, grossum ingere rostro tuo, ut valeas sex nummulos«, et perrexit mala verba facere quotcumque sibi in mentem veniebant. His dictis animoque aliquatenus relaxato in urbem cucurrit ad iudicem. »O domine iudex, quantum doleo! Mediâ in viâ rurali privatus sum et male afflictus ab homine impio, tam violenter, ut lapidem misereatur mei terrestrem! Vestimenta mea sunt discissa! Corpus spinis perpunctum et dilaceratum! Aurum unâ cum bursâ ablatum! Ducati nummi fuerunt unus altero pulchrior! Per Dei voluntatem oro, ut curetis istum hominem in carcerem coniciendum«. Tum iudex: »Fuitne« inquit, »miles, qui te acinace suo tantopere affligeret?« - Iudaeus: »Per Deum!« respondit. »Acinacem nudum non habuit, sed sclopetum habuit ex dorso suspensum, et violinam e collo pendentem; his rebus facilis est cognitu.« - Iudex autem emisit adiutores suos quaesitum, qui invenerunt bonum servum, qui perquam lentê iter perrexerat, necnon invenerunt bursam auro completam.

Servus autem in ius vocatus dixit: »Iudaeum non tetigi neque eius pecuniam abstuli, sed ille eam mihi ultiro obtulit, ut desinerem violinâ canere, quia non passus est modos meos musicos.« - »Quod Deus avertat!« Iudaeus clamavit, »iste mendacia capit ut muscas parieti assidentes«. At iudex etiam non credidit verba servi dicens: »Haec est mala excusatiuncula, talia nullus facit Iudaeus.« et bonum servum capit is damnavit, ut moreretur laqueo suspensus.

Cum servus ad patibulum abduceretur, Iudaeus ei acclamavit: »Tu pigerrime, musice miserrime, furcifer, nunc accipies mercedem tuam bene meritam.« Servus autem tranquillissimâ unâ cum carnifice ascendit per scalam, in ultimo autem gradu se convertit et ad iudicem versus: »Unum« inquit, »concede mihi rogatum, antequam moriar.« - Tum iudex: »Concedam« inquit, »nisi rogabis, ut vitam tibi donem.« Deinde servus: »Non rogo« inquit, »ut vitam mihi dones, sed ut ultimum mihi liceat violinâ meâ canere.« Tum Iudaeus coepit clamare lamentabiliter: »Per Dei voluntatem, noli hoc permettere, noli permettere.« At iudex: »Quidni« inquit, »ei congaudeam paulisper? Concedo hoc ei, et hoc sufficiat.« Nec potuit recusare, propter facultatem magicam servo donatam. At Iudaeus clamavit: »Vae mihi! Vae mihi! Alligate me, ne possim moveri!«

Tum bonus servus violinam de collo sumptam instruxit, et primo chordarum attactu omnia coeperunt vacillare et titubare, iudex et scriba et apparitores et e manu eius, qui erat Iudeum alligaturus, restis excidit; altero autem attactu omnes pedes sustulerunt, et carnifex bonum servum dimisit et se praeparavit ad saltandum, et tertio attactu chordarum violinae omnes in altum prosiluerunt et coeperunt saltare, et iudex et Iudeus primo ordine constituti optimē saliebant. Mox omnes unā saltaverunt, qui curiosi ad plateam erant congregati, homines senes et iuvenes, crassi et macri unus cum altero saltavere: et canes qui unā cum hominibus accurrerant, pedibus posterioribus considentes etiam saltavere. Et quo diutius servus violinā canebat, eo altius saltatores saliebant, ut unius caput cum capite alterius collideret et homines inciperent miserrimē clamare.

Tandem iudex ferē examinatus vocavit: »Dono tibi vitam, ut desinas canere violinam.« - Bonus servus his verbis commotus violinam depositum, collo circumposuit, et de scalā descendit. Tum ad Iudeum humili prostratum anhelantem aggressus: »Furuncule« inquit, »nunc confitere, unde pecuniam acceperis, aut violinā de collo sumptā denuo canam.« - »Furatus sum, furatus sum!« Iudeus clamavit, at tibi iustē est factum!« - Tum iudex curavit, ut Iudeus ad patibulum duceretur et furti condemnatus laqueo suspenderetur.

FABELLAS GRIMMIANAS

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

GLOSSAE

ORBIS PICTI HEXAGLOTTI (V)

acūs abiegnae

120

Tannennadeln – fir needles – aiguilles de sapins – agujas del abeto – aghi d'abete

Folia acuformia sunt plâna et flexiles et in latere inferiore saepe gerunt duas taenias stomatis lucidas. Acûs sive saetae abiegnae saepe aetatem assequuntur octo vel summum undecim annorum. Pede dilatato immediatê incident ramulis. Eo differunt e.g. ab acubus *Piceae*. **Condimentum.** Aroma acuum abiegnaarum condîmentarium mirabiliter quadrat ad cibos fungorum et ferarum. Quod aptissimum est ad oxyalmen assi ferini aut ad condimentum pomorum terrestrium salitorum et frictorum.

acus *acutextōria

570

Stricknadel - knitting needle - aiguille à tricoter - aguja de punto - ferro de maglia

Acûs acutextoriae praecipue sunt instrumenta acu texendi. Pro usu et opere varia genera talium acuum adhibentur. Genus acuum acutextoriarum fundamentale sunt duae acûs acutextoriae longae, quarum utraque in unâ parte finali est bullata, ne opus manuale elabatur. - Ut acu texantur impilia aliaeque res rotundae, quae sunt diametri relativê parvae, *lusus acuum* (qualis appellatur) quinque acuum adhibetur, quae in utrâque parte finali sunt cuspidatae. Tales lusûs acuum vêneunt 10-40cm longi. Sunt etiam lusûs acuum trium, quarum media est flexilis. Quae acûs tres tironibus sunt faciliores adhibitu quam quinque et celeriores, quia acûs rarius mutandae sunt. Tales syntheses acuum ternariae vêneunt 20-30cm longae iisdemque texi possunt digitabula, involucra vestium, impilia, mitellae, manicae. - Ad maiora opera acutextoria rotunda, qualia sunt thoraces lanei et iaccae, utiles sunt acûs acutextoriae *rotundae*. Quae constant ex mediâ parte flexili et duabus acubus finalibus relativê brevibus. - Acûs acutextoriae fabricantur ex variis materiis, e.g. e metallo, materiâ facticiâ, bambusâ, ligno olivae. Ad materiam eligendam multum valet qualitas fili, quod adhibetur. Unusquisque acu texturus eligat sibi filum aptissimum; nam *faber sit quisque fortunae suae!*

acus assī cōnsuendī

309

Dressiernadel – trussing needle - aiguille à brider - aguja de coser - ago per legare

Ut impediatur, ne e.g. alae clunesque gallinarum assandae nimis celeriter aut nimis fortiter brunnescant, iuvat volatilia consuere filo necnon tali acu adhibitis.

acus bullāta

471

Anstecknadel – pin – épingle – alfiler - spilla

Acûs bullatae plerumque sunt acûs ex metallis ignobilibus fabricatae, quae affiguntur revimento sive replicature vestimenti. Quae saepe geruntur ornandi causâ, sed iisdem gestor interdum etiam indicat se esse membrum alicuius collegii vel sodalitatis vel negotiationis.

acus capillōrum

476

Lockennadel – hairpin – épingle à cheveux – horquilla de moño – forcina

Acûs capillorum sunt parvae fibulae metallicaes, quae adhibentur ad capillos abstantes capití affigendos.

acus cava

912

Kanüle – needle – aiguille - aguja - ago

Acu cavâ sive acu injectionis instructus est siphunculus, quem medicus aut veterinarius adhibet, ut in telam hominis aut bestiae cellularem invadens liquorem iniciat (e.g. vaccinum) aut eximat (e.g. sanguinem).

acus circulāris

570

Rundstricknadel – circular needle – aiguille circulaire – aguja circular – ferro circolare

Acus circularis adhibetur ad acutextionem. Hoc instrumentum constat ex duabus acubus brevioribus, quae filo perlonicâ flexibili aut filo metallico materiâ facticiâ circumdato ratione axiali inter se coniunctae sunt.

acus cylindrāta

534

Roulette – roulette – roulette – ruedecilla - roulette

Acus cylindrata est instrumentum bibliopagiae aut artis graphicae. Quod stilo simile est, in eius fine invenitur parvus cylindrus, cuius cuspides coniformes laminae aut cylindro typographico imprimuntur, ut efficiantur parvae cavernulae.

acus fixōria

471

Sticker – stickpin – broche d'épingle – alfiler de corbata - spillone

v. acus bullata.

acus index

342, 597

Zeiger, Anzeigenadel – pointer – aiguille – aguja indicadora - indice

i.q. acus, quâ in instrumento mensorio, velut in thermostato, indicatur aliqui valor mensorius, velut temperatura.

acus ligulāta

571

Zungennadel – latch needle - aiguille à clapet - aguja con lengüeta - ago a linguetta

Acus ligulata est elementum machinarum acu texendi, quo maculae oriantur. Quae acus inventa est a viro nominis Mac Nary, qui construxit machinam acutextionis circularem meatu pendulari instructam, quâ fabricaret calcem tibialis.

acus māgnētica

1057

Magnetnadel – magnetic needle – aiguille aimantée – aguja imantada – ago magnetico

Acus magnetica est instrumentum, quo indicantur directiones caeli. Polus huius acûs magneticus borealis vertitur ad polum terrae magneticam australem.

acus piceae

120

Fichtennadeln – spruce needles – aiguilles d'épicéa - agujas de picea – aghi di picea

Acûs piceae continent oleum aethericum, quod adhibetur ad catarrhos viarum respiratoriarum sanandos (inter perfrictionem contractam). Praeterea acûs piceae adhibentur ad molestias rheumaticas necnon dolores muscularum atque nervorum leviores mitigandos.

acus pīneae

120

Kiefernadeln – pine needles – aiguilles de pin – agujas del pino – aghi di pino

Haud difficile est acûs pineas distinguer ab acubus aliarum arborum coniferarum. Nam eaedem semper binae pendent, longitudine sunt 4-8 centimetrorum. Saepe singulae acûs pineae sunt leviter in se torsae. Sunt viredine caerulescenti aut griseolâ. Genus acuum etiam agnosces conis aspiciendis: Qui sunt formâ ovorum, longitudine 3-8 centimetrorum. Facile est acûs metere: abstrahe germina lateralia unâ cum acubus. Quod non nocet arborei, dum non nimis multa germina abstrahes. Licet acûs pineae et coni pinei etiam originales adhiberi possint ad morbos sanandos, plerumque adhibentur pertractatae. Olea pinûs aetherica libenter induntur variis medicamentis antitussivis aut adduntur liquoribus inhalatoriis. Multi nesciunt acûs pineas nequaquam tantummodo addi posse aquae balneandi, sed etiam adhiberi ad morbos curandos. Quae imprimis adiuvant ad vias respiratorias sanandas. Oleis enim aethericis, quae insunt acubus pineis, viae respiratoriae purgantur et in perfrictione curandâ efficiunt, ut mucus tussiendo eiciatur. -

Theam ex acubus pineis sic confito: 1. Acūs pineas sumito aut recentes aut siccatas. 2. Concídito acūs in partes minores. 3. Hirneae ligulam acuum concisarum inspergito. 4. Hirneae 150 millilitras aquae fervidae infundito. 5. Per 5 minutias exspectato, ut aroma acuum per aquam dispergatur. 6. Theam pocillo infundito per cibrum, ut acūs recipias.

acus politōria

534

Polierstahl – burnisher – brunissoir – bruñidor - brunitoio

Acus politoria est instrumentum fabrile, quo acies cultrorum lēvigatur. Acūs politoriae plerumque fabricantur ex chalybe solidissimā atque durissimā necnon indumento chromii, superficie sunt fulgentissimā. Talibus acubus materia polienda perstringitur vel perfricatur. Hōc modo materia ita lēvigatur, ut ipse fulgeat. Materia obdurescit. Acūs politoriae saepe affiguntur manubrio, ut facilius adhiberi possint. Sectio earum transversa est aut rotunda aut triangula aut ovalis. Aliter ac pastis atque pulveribus politoris adhibendis, acu politoriā adhibendā vix quidquam materiae perdatur. Simile instrumentum est *lapis politorius*.

acūs *spargibulī pūrgandī

406

Düseneiniger – nozzle cleaners – aiguilles de nettoyage – limpiador de boquillas – alesatori per la pulizia degli ugelli

Acūs spargibili purgandi insunt instrumentis gasificatio instructis, velut foculis campestribus, lampadibus lucis fortis, faculis ferruminatoriis. Iisdem spargibulum purgatur a sedimentis, quae usu et causimi sordibus oriuntur.

acus sicca

534,535

Kaltnadel – dry point, etching point – pointe sèche, pointe à graver – punta seca, punto de grabado – puntasecca, punto di intaglio

[Mir 70, 246]

Typographi **acu siccā** utuntur ad methodum typographiae profunda ex exercendam. Talis acus dura et acuta constat ex acri metallo aut adamante et insecatur laminae, quae appellatur *matrix*. Prius haec lamina semper constitit ex cupro, sed nunc saepe etiam adhibentur acetas aut zincum aut vitrum plexicum.

acus tēcta

567

Sicherheitsnadel, safety pin – epingle de sûreté – imperdible – spilla di sicurezza

Acus tecta similiter ac acus capitata adhibetur ad duo textilia provisorie inter se configenda. Sed acus tecta est incurva, eius apex capsulae imponitur, ne tela elabatur. In eius parte mediā scapus ipsius acūs est flexa ad elaterem spiralem aut, ne tela infixā retineatur, globulo instructa est. - **Fibula** habetur pro acu tectā omnium antiquissimā: tales acūs iam inventae sunt in reliquiis aetatis aeneae exeuntis. Genus acūs tectae modernum a.1849 inventum est a *Valtero Hunt* mechanico Americano. Itaque eadem in Francogallia appellatur adhuc interdum *épingle anglaise*, i.e. *acus anglica*.

acus tūta

567

v. acus tecta

acus uncīnāta

570

Häkelnadel – crochet hook – crochet – ganchillo – uncinetto

Acus uncinata in parte extremā habet uncinum, quo filum recipitur et per maculam iam factam trahitur. Quae acus praecipue adhibetur in **uncinulatione*.

acus volucrī capillāris

476

Haarstecker – hair roller pin – épingle à bigoudi – alfiler – spillone

Talibus acubus volucra capillaria comptui muliebri affiguntur.

acutextiō, -ōnis f.

570,571

Stricken - knitting – tricot – tejido de punto – lavoro a maglia

[cfr *acutextura: Philippe Michel Raillet, *Triumphus Linguae Gallicae*, Lugduni 1664, p.172]

Acu texere est fabricare opera macularum textilia, quae fiunt filis circumvolvendis. Maculae unius seriei una post aliam conficiuntur. In acutextione manuali homo operatur 2-5 acubus acutextoriis. In acutextione machinali omnis bacillus maculae eget acu ligulatā.

Historia antiqua. Neque ex cultibus civilibus palaeorientalibus neque antiquis nobis relicta sunt vera opera acutextoria; etiam indirectē nihil indicio est illā aetate acutextionem iam notam fuisse. Fragmenta textilium antiquissima, quae a nonnullis saltim archaeologis putantur esse opera acutextoria, annis vicenariis et tricenariis saeculi proximi praeteriti inventa sunt in *Dura Europos*, urbe graeco-hellenisticā circiter a.300 a.Chr.n. conditā, quae sita erat prope Euphratem in Syriā hodiernā. Quantum hodie cognitum est, haec opera maculata non sunt duabus acubus, sed acu sutoriā ex filis relativē brevibus confecta. Etiam impilia, quae a saeculo tertio usque ad saeculum quintum p.Chr.n. a Coptis confecta sunt et postea in urbe *Oxyrhyncho* (hodie: *Al Bahnasa*) ecfossa sunt, non sunt opera acu texta, sed opera acui obnoxia.

Historia mediaevalis. In Thuringensi sepulchro mulieris inventum est par acuum osseum, quod computatur circiter a.300 p.Chr.n. confectum esse et videtur esse indicium homines iam acu texisse antiquitate exeunte. A.1903 prope Mediomaticum (*Metz*) inventa sunt in sepulchreto Romano textilia comparabilia eodem ferē tempore confecta. Acūs ferreae, quae a nonnullis investigatoribus dicuntur esse acutextoriae, confectae sunt aetate Merovingorum, circiter a.500. At dubitandum est, num convenientia haec indica chronologica; nam cum panni *iugo* texti inventi sint, qui annos habent 30.000, opera *acu* texta omnium vetustissima, quae umquam inventa sunt, confecta sunt aetate mediaevali ineunte. In museis haec textilia vetusta fragilissima paene semper conservantur in lumine infirmo et sub vitro, ut investigatores vix ullam occasionem nanciscantur, quā accuratē determinent genus fabricandi. *Irena Turnau* Polona historica textilium, quae per annos perscrutata est opera acutextoria putativa, opinatur pauca tantum eorum reverā esse acu texta. *Richardus Rutt* in opere suo, quod inscribitur *A History of Hand Knitting* (1987), refert de fragmento panni acu texti in *Fustāt* (arabicē *al-Fustāt* i.e. ,tentorium'), antiquā urbe aegyptiā inventi, quem *Franciscus Iklé* (1877–1946), *Helvetius rerum* textilium peritissimus, computat in spatio saeculorum confectum esse, quod sit a 7. ad 9.um saeculum; vetustiores pannos acu textos non esse nōtos. - Fortasse *Arabes in Hispaniam invadentes* opera acu texta in Europam intulerunt. Documenta artis acutextoriae Maurorum Hispaniensium sunt indumenta pulvinorum saeculo tertio decimo exeunte confecta, quae inventa sunt in sepulchris familiae regiae Castilianae. At numerus talium inventorum minor est, quam ut scientificē demonstrari possit origo artis acutextoriae arabica.

Mediaevio alto (quale dicitur) primae imagines operum acutextoriorum apparent. Complures picta est Mater Dei acu texens, velut in picturā quae appellatur *Sancta Familia*. Eadem picta est ab *Ambrosio Lorenzetti* circa a.1345, et in alterā (*Madonna dell'Umiltà*), quam pinxit *Vitale da Bologna* a.1353., necnon in picturā altaris circa a.1400 pictā, c.t. *Unsere Liebe Frau* (um 1400), in quā Maria quattuor acubus textit vestimentum Iesu infantuli. Imago postrema simul est una ex imaginibus acutextionis circularis vetustissimis.

Saeculis sequentibus acutextio multum invaluit in re nauticā mercatoriā. In itineribus piscatoriis atque mercatoriis etiam etiamque longioribus acutextione fieri poterat, ut integra vestimenta conficerentur aut resarcirentur in nave, sed non esset necessarium secum ferre iuga textoria. Similia valent ad nomades aut ad pastores.

Acutextionem factam esse artem fabrilem. Primus locus, quo commemoratur acutextio commercialis, a.1268 Parisiis invenitur. Collegium acutextorum Parisiensium commemoratur annis 1366 et 1380 et 1467. Etiam a.1429 *Turnaci* (*Tournai sive Doornik*), i.e. in *Bataviā Burgundicā* (qualis illo tempore vocabatur), a.1496 *Barcinone*, collegia acutextorum fuisse documentis traditur. In Germaniā primum a.1600 in quodam testimonio memorantur Norimbergenses acutextores bracarum tibialiumque. Traditum est Parisienses acutextores manuales ascensisse ad honorem unius ex sex collegiis fabrilibus maximi momenti.

Saeculo 16. *virorum* erat acu texere. Tum Parisiis fundatum est collegium acutextorum omnium vetustissimum. Acutextor professionalis debuit tirocinium absolvere sex annorum. Per tres annos tiro debuit migrare. Deinde intra 3 menses debuit confidere tria articia excellentissima: camisiam laneam et tibialia exornata et tapete.

Extra Europam. In *Iaponiā* opera acu texta ferē ignota erant, usque dum medio saeculo undevicesimo Iapones receperunt primos peregrinos. Acutextio manualis percrebrescebat Samurais potestate orbatis et administratione militum mutatā, qui egebant chirothecis atque impiliis (*tabi*) acu textis. In litteraturā Iaponicā interdum refertur magnam partem operum acu textorum confici a Samurais ad paupertatem redactis. Sed complures homines variorum stratorum populi in *Iaponiā* septuagenariis annis demum saeculi undevicesimi cognoverant artem acutextoriam; quo tempore scholae conditae sunt puellarum christiana, quae ducebantur a mulieribus missionariis occidentalibus. Saeculo undevicesimo exeunte in domibus privatis acu texebatur, iam vicesimo ineunte conditae sunt officinae acutextoriae. Tamen simul etiam domi percrebuit manualis acutextio.

Etiam in *Chinā* acutextio per longum tempus fuit ignota. More tradito ibi lana cogebatur aut iugo texebatur; tibialia textilibus secta consuebantur. Undevicesimo demum saeculo, quo tibialia et subligaria acu texta importarentur, haec ars in *Chinā* facta est popularis. A.1902 et 1909 in urbibus *Hangzhou* et *Shanghai* conditae sunt primae fabricae mercium acu textarum. Multis in domibus privatis eodem tempore ad tibialia fabricanda comparatae sunt *machinae acutextionis*

circularis. Acutextio autem manualis in Chinâ iam vicenariis annis saeculi vicesimi bene nôta erat, sed maximê percrebruit annis prioribus demum rei publicae popularis Chinae.

adamās, adamantis m.

470

Diamant – diamond – diamant – diamante – diamante

ThLL 1,565,46 **adamās** vel **adamāns**, ntis m., ἀδάμας. ...566,7 *gemma p r e t i o s a*: MANIL.4,926 sic adamas, punctum lapidis, pretiosior auro est. MART.5,11 sardonychas zmaragdos adamantas iaspidas uno versat in articulo Stella...meus. STAT.Theb.2,277 infastas percussum adamanta figuras in *Harmoniae monili*. IVV.6,156 adamans notissimus et Berenices in digito factus pretiosior...

Adamas est modificatio carbonei cubica, substantia solida originis naturalis, minerale classis elementorum. Adamas plerumque conformat crystallos octaedricas, quae saepe sunt areis incurvis et striatis. Aliae formae observatae sunt tetraedrum, dodecaedrum, cubus. Crystalli sunt pellucidae, coloris expertes aut propter alias substantias (e.g. nitrogenium, borium) impositum sive propter defectûs reticuli crystallini colore viridi, flavo, fusco aut rarius arancio, caeruleo, rosaceo, rubro, griseo, nigro.

Adamas est substantia naturalis omnium durissima. In *scalâ duritiae Mohsianâ* adamas habet duritiam 10. Eius duritia absoluta secundum *Rosiwalium* est centies quadragies (140x) maior quam duritia *corundi* (cfr PLIN.nat.37: adamas siderites, cfr Pavel Federovič Gorjaninov, Primae lineae systematis naturae, Petropoli 1834, p.33,6: *Corundum – Alumia durissima*; cfr John Woodward 1719: corinvindum, ex tamilico குருந்தம் *kuruntam*, cfr sanscritum कुरुविन्द् *kuruvinda*). Sed duritia adamantis varia est in variis crystalli directionibus (*anisotropia*). Ideo fieri potest, ut *adamas poliatur adamante*. In pulvere diamanteo, qui adhibetur ad adamantes poliendos, crystalli sunt omnis inclinationis (*isotropia statistica*), itaque semper etiam crystalli earum durissimae efficiunt ad corpus poliendum.

Adamas est *isotropiae opticae*, magnae *refractionis lucis* magnaenque *dispersionis*. Praeterea idem insignis est *fluorescentiâ* atque *phosphorescentia* et est *triboelectricus*. Adamas summâ est *conducibilitate thermali* omnium mineralium nôtorum. Pondus singulorum adamantium indicatur unitate, quae est ceratium. Unum ceratium exacte respondet 0,2 grammis. Adamas non tractatus, i.e. non politus appellatur adamas *rudis*.

Etymologia et historia. Nomen adamantis dicitur a graeco verbo, q.e. ἀδάμας, *indomabilis*. In antiquis litteris Latinis, sicut iam in graecis, adamantes appellabantur substantiae durissimae, velut ab Hesiodo *chalybs*, a Platone et Theophrasto generaliter *gemma pretiosa*, a Plinio specialiter *sappîrus* (σάπφειρος).

Relationes quibus refertur de adamantibus inventis vetustissimae inveniuntur in litteris palaeoindicis. Ibi dicuntur tales inventae esse iam quarto millennio a.Chr.n.. Quia iam illo tempore adamantes putabantur effectus habere magicos, adhibebantur etiam amuleta. Romani quoque adamantes maximê aestimabant. Plinius maior memorat **adamantem adhiberi posse instrumentum fabrile** (PLIN.nat.37,55-60): *Maximum in rebus humanis, non solum inter gemmas, pretium habet adamas, diu non nisi regibus et iis admodum paucis cognitus. ... (57) Incudibus hi deprehenduntur, ita responentes ictus, ut ferrum utrimque dissultet incudes ipsae etiam exilant. Quippe duritia est inenarrabilis, simulque ignium victrix natura et numquam incalescens, unde et nomen – interpretatione graeca indomita vis – accepit. ... (59)...illa invicta vis, duarum violentissimarum naturae rerum ferri igniumque contemptrix, hircino rumpitur sanguine, neque aliter quam recenti calidoque macerata et sic quoque multis ictibus, tunc etiam praeterquam eximias incudes malleosque ferreos frangens. (60)...cum feliciter contigit rumpere, in tam parvas friatur crustas, ut cerni vix possint. Expetuntur hae (sc. parvae crustae adamantium) scalptoribus ferroque includuntur, nullam non duritiam ex facili cavantes.* ---

Circa a.600 p.Chr. Primo nuntiatum est adamantem inventum esse in *Borneo* insulâ indonesicâ, sed quamquam India nunc non iam unicus fons adamantium fuit, adamantes in Indonesiâ inventi pergebant esse minoris momenti, quia numerus eorum nimis parvus fuit necnon eorum transportatio ad portûs urbium erat nimis laboriosa et sumptuosa. Saec. 13. demum inventum est adamantes posse tractari, sed hoc in Indiâ respuebatur, quia Indi credebant adamantes tractando amittere vires suas magicas. Politio adamantium hodierna a.1910 demum exulta est. - Saec.18. paulatim fodinae adamantium indicae atque indonesicae expilabantur atque exhaustiebantur. Cum autem quidam Lusitanus in Brasilia aurum quaerens primum adamantem extra Asiam invenisset, erupta est ingens *cupiditas adamantium*. A.1869 in *Kimberley* in Africâ australi primus adamas inventus est in lapidibus *Kimberlit*. Anno post Africa australis facta est adamantium praebitrix praecipua, quia etiam in Brasiliâ tales gemmae rarius inveniebantur. A.1876 in exhibitione mundanâ, quae facta est in urbe *Philadelphiâ*, exhibita est *serra circularis lapides dissecandi adamantibus obsita*. A.1908 etiam in litore Germanicae Africæ Austro-occidentalis (*Deutsch-Südwestafrika*) inventi sunt adamantes, et a.1955 tandem primum adamas artificialiter fabricatus est. Primum in fundo maris adamas inventus est a.1961. - Hodie praebitrix adamantium praecipua est **Russia**. ---

GLOSSARUM ORBIS PICTI HEXAGLOTTI PARTEM QUINTAM SCRIPSIT LEO LATINUS

CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA

Jean-Baptiste Poquelin
alias
Molière

getauft am 15. Januar 1622 in Paris
gestorben am 17. Februar 1673 in Paris




QVADR IN GENTIS ANNIS ANTE
XVIII KAL. FEBR VARIAS
LV TETIAE BAPTIZATVS
IOANNES BAPTISTA POQUELIN
ALIAS MOLIERE
HISTRIO
ATQVE
BONVS POETA SC AENICVS

MMXXI

Am 15. Januar vor vierhundert Jahren
wurde Jean-Baptiste Poquelin getauft.
Unter dem Namen „Molière“ wurde er bekannt
als Schauspieler und vor allem als großer Dramatiker.

**Jean-Baptiste Poquelin
alias
Molière**

* 15. Januar 1622 in Paris
† 17. Februar 1673 in Paris



MOLIERE
ACTOR ACTOR NOBILIS POETA SCENAICVS
QVADRINGENTIS ANNIS ANTE
NATVS
MMXXI

Vor vierhundert Jahren wurde der Schauspieler
und berühmte Dramatiker Molière geboren.

Franz Grillparzer

* 15. Januar 1791 in Wien

† 21. Januar 1872 in Wien



QVI NQVI ES TRIGINTA ANNIS ANTE
XII KAL. FEBRVARIAS
 FRANCISCVS GRILLPARZER
 BONVS POETA DRAMATICVS
 EX VITA EGRESSVS

M M X X I

Am 21. Januar vor 150 Jahren
 starb der große Dramatiker
 Franz Grillparzer.

John Donne

* 22. Januar 1572 in London

† 31. März 1631 in London



NON AGINTA LVSTRIS ANTE
XI KAL. FEBRVARIAS NATVS
 IOANNES DONNE

BONVS SCRIPTOR ANGLICVS FVIT
 ATQVE VATES METAPHYSICVS EGREGIVS

M M X X I I

Am 22. Januar vor 450 Jahren wurde John Donne geboren.

Er war ein großer englischer Schriftsteller
und ein herausragender metaphysischer Dichter.

DE SELLAE FAMILIARICAE

RATIONIBUS TECHNICIS

Emissio televisifica cum mure facta



cui moderatur Arminus Maiwald

A) Quomodo fabricetur pelvis sellae familiaricae

<https://www.youtube.com/watch?v=nLc81LTnAsU>

Emissio cum mure facta a.2002

Hae sunt formae. Formis potest aliquid formari – sicut formulis in cistâ harenariâ. Hîc est sulcus – per quem fluit massa liquida. Et ex hôc sulco canalis ducitur in hanc formam. Et haec massa liquida deinde intra effluit. Sed haec est dimidia tantum forma. Ne quid effluat, egemus alterâ parte dimidiâ. Ad latus nunc nihil iam effluit. Ne quid effluat in parte posteriore, illam quoque partem concludamus. Deinde operculum imponamus. Nunc forma est perfecta. Quid ei indendum est? Omnes materiae, quae insunt in his conditoriis ingentibus, e.g. argilla et quarzum et caolinum et spatum agreste. Si hae substantiae aquae infusae peragitantur, oritur quaedam massa ceramica – quae a peritis appellatur *Schlicker* (quam Latinê appellemus *limum* (limus, -i m.). Deinde vetriculo sublatu limus per tubos in formas influit. Quod solet fieri per spatum 12 minutarum – nos autem telecamerâ nostrâ hanc rem monstramus aliquanto celerius. Tam diu, usque dum forma tota sit completa. Nunc autem pandimus mysterium harum formarum: Quae constant ex gypso. Gypsi autem in margine ex hac massâ umor extrahitur ideoque limus lentê solidescit. 12 ferê horis elapsis in margine *stratum* est exortum 10 vel 12 milimetrorum – quo egemus. Quod hîc ad obrussam exigitur. Bene, quadrat! Vir aureis digitis probatoriis

praeditus inspicit horologium - deinde obturaculum extrahit. Quod autem adhuc restat liquidum, hoc unc infra effluit in sulcum, colligitur, proxima-



que vice denuo adhibebitur. Effluxio etiam fit spatio 10 vel 12 minutarum – quod etiam telecamerâ aliquanto celerius fecimus. Si totus limus effluxit, aperiri postest forma et, si tardissimê, nunc cognosci potest, quid ex hac re evasurum sit: *pelvis sellae familiaricae*. Sed scilicet hanc pelvim nondum esse perfectam. Nunc subtilitates sunt perficienda. Primo aliquot foramina sunt expungenda. Deinde hôc instrumento speciali cappa resecatur. Hic locus est sensibilis. Hôc loco aliquantulum aquae est addendum, ne nimis celeriter siccescat. Tum talia opercula parva imponuntur. Deinde iterum adhibetur instrumentum speciale. Tum intra margo resecatur. Sed non sôlum aliquid demitur, sed etiam aliquid additur. Nam illud foramen, per quod modo influxit limus, nunc intrinsecus clauditur obturaculo. Deinde forma in latere potest aperiri et ibi, ubi nunc est cavitas, aliquid imponitur – scilicet in altero quoque latere hoc fit – et margines bellulê oblinendo clauduntur. In parte posteriore restat aliquid secando aperiendum – hoc est illud, ex quo omnia effluunt. Quod nunc bellê lêvigatur aliquantulâ aquâ. His rebus confectis forma pelvis sellae familiaricae cruda est perfecta. Nunc nihil iam resecatur nihilque agglutinatur.



Per integrum ferê horam pelvis sic remanet intacta. Deinde fit *politio viridis*. Ut appareat e nomine «politionis viridis», hîc omnia denuo perquam pulchrê purgantur, praesertim in iis locis, ubi aliquid appositum est, in latere, ibi spathulâ omnia subtiliter scalpendo auferuntur, ut omnes loci sint laeves. Hoc facit *Jean Navas*, et quia sumus *Metlaci*, prope limitem Francogalliae, *Jean Navas* est «*un Français*» - Francogallus. Intra aquae ope omnia denuo perquam purê poliuntur – ut verê laevia sint. His omnibus confectis forma rudis invertitur, per biduum manet deposita, ut lentê arescat et albescat.

Nunc autem incipit *politio alba*. Hôc instrumento foramina paululum forando dilatantur, ne habeant acies, quibus manûs possint insecuri. Deinde etiam res manu probatur, si qui locus est asper, chartâ limatoriâ tractatur. Nunc autem agitur res valdê gravis: Nunc omnia denuo madefiunt. Hoc fit eo fine, qui sequitur: Si quae rima est, eadem umore appetit. Si quae rima

est neque animadvertisit, eiusdem causâ postea in fornace forma diffingitur!

Postea politio alba est finita, pelvis imponitur currui et manet aliquamdiu intacta et immota. Proximo in compartimento officinae omnis pelvis efflatur aëre presso, ne qui pulvisculus alicui loco possit adhaerere – ex interiore parte, per omnia foramina. Hôc confecto pelvi inducitur *vitreatura*.¹ Utre – primo ex interiore parte. Ceterum effectu vitreaturae sella familiarica postea perfecta fiet candida et splendida. Haec autem vitreatura oportet quam diligentissimè inducatur sub margine. Si hoc confectum est, reliqua decantantur, in vas pyelo simile, in quo reconduntur, ut adhibeantur proximâ in fabricatione. Deinde pelvi vitreatura aspergitur. Is autem, qui recordatur cinema quod vobis ostendi ad laccationem spectans, scit talem actionem non esse ita facilem. Ipse enim hoc facere conatus sum. Ergo oportet laccatio discatur diligenter.

Post duos ferê dies haec vitreatura tam bene siccata est, ut possit tangi. Deinde hae pelves currui imponuntur. Et nunc sunt paratae ad fornacem ustoriā. Talis est haec fornax. Ibi, in igneâ parte posteriore, temperatura est 1300 graduum Celsianorum. Et in hac temperaturâ fit aliquid mirum: Pelvis deminuitur. Talis fuit eius aspectus inter positionem viridem. Et quia etiam etiamque aqua evaporatur, pelvis inter positionem albam iam minor fuit, quod animadvertisisti, si accuratê aspexistis. Et nunc cum uritur pelvis etiam multo minor fit – vehementer est deminuta. Post 20 ferê horas omnes pelves e fornace eximuntur. Tum tales sunt, quales novimus – coloris candidi et fulgentis. Nunc nihil iam fiet nisi pelves balneis imponentur. Agedum, laetê utamini!

¹***vitreatūra**, -ae f. theod. *Glasur*.

B) Quomodo operetur cisterna sellae elutoriae

Die Sendung mit der Maus - Spülkasten (Sachgeschichten) 2001

<https://www.youtube.com/watch?v=hpKHcnNHn6w>




Si sellae familiaricae insidens alvum exoneras, postea curas, ut excrementa e pelvi eluta auferantur - scilicet. Aqua autem, quâ eluitur, venit ex quadam cisternâ, quae inest parieti aut parieti appensa est. Si elutum est, cisterna est vacua. Sed si postea denuo insides sellae familiaricae, cisterna repleta est. Cisterna iterum aquae plena est. Quonam modo hoc fit?

Scilicet cisternam cum aqueductu coniunctam esse – hoc quoque clarê patet. Sed: Si alioquin aquâ egemus, e.g. ad manûs lavandas, necesse est epitonium vertendo aperire et postea claudere. At numquam vidi aliquem hôc modo tractare talem cisternam, quae posita est post sellam familiaricam. Ergo quaeramus: Quomodo cisterna animadvertis necessariam esse aquam novam? Et unde scit, quando completa sit? Si manûs lavas nec epitonium vertendo claudis, aqua non desinit effluere. Quisnam in cisternâ elutoriâ curat, ut aqua desinat effluere?

Ut videamus, quid intra fiat, cisternam nunc facimus pellucidam. Prima res quae appetit est pila e conto pendens. Haec pila natat in aquâ et supra ei affixus est contus. Hic contus transfertur ad illam partem. Si hoc e loco superiore aspicitur, haec est valvula.

Sic operatur cisterna sellae familiariae elutoria

So funktioniert ein WC-Spülkasten



Wasserzufuhr = **affluxus aquae**. - Ventil = **valvula**. - Schwimmer = ***fluitaculum**. - Bedienhebel = **veticulus**. - Wassereinlass = **immissio aquae**. - Verschluss = **clusura**.

Ibi contus finitur. Si nunc curamus, ut aqua defluat, fiunt haec quae sequuntur: Pila deprimitur, et - siste – omnia nimis celeriter facta sunt – repetamus! Aqua redit in locum superiore. Ergo: si veticulus deprimitur, pila it deorsum. In eo pressio conti valvulam prementis deminuitur, valvula aperitur et aqua fluit in cisternam. Et hoc fit iam eo momento temporis, quo adhuc veticulus deprimitur. Si aqua emissa est ad eluendum, clausura infra sita clauditur et aqua denuo ascendit. En iterum explicemus: pila infra est, aqua itur. Pila supra est, valvula clauditur. Pila infra est, valvula aperitur, pila supra est, valvula clauditur. Haec valvula est epitonium automaticum – quod operatur simpliciter – sed ingeniosê!



ECCE SELLA FAMILIARICA CISTERNA ELUTORIA INSTRUCTA

Nunc autem tota res monstratur motione retardatâ: Vetriculus deprimitur, aqua defluit, pila it deorsum, valvula aperitur, aqua fluendo sequitur, ut cisterna repleteatur. Et cum cisterna repletur, pila lentê natat in locum superiore, deinde aqua fluit primo lentius, deinde etiam lentius, denique non nisi per nonnullas guttulas. Et si cisterna est plena, valvula plenê clauditur. Factumst! Nunc cum hanc rem sciamus, licet cisternam denuo obtegere.

Vestrum autem sagacissimi sciunt nonnullas cisternas esse plectro parsimoniae instructas. In iisdem non tota aqua defluit, sed tantummodo aliquantum et pila est alîus formae. Quae nunc etiam in dextrâ parte posita est et est quadrangulata. Si in tali apparatu premitur alterum plectrum, plus aquae effluit, sed ratio pilae sursum natantis, etiamsi est quadrangulata, est eadem ac in apparatu quem primo vidimus. Alter apparatus est aliquantulo alîus aspectûs et non tam bene perspicitur.

Est etiam tertium genus cisternae sellae familiaricae, quod etiam est aspectûs paulo alîus, tamen operatur eâdem ratione. Sed id quod ascendit, est aliquod genus campanae vitreae. Ibi eadem clauditur. Et si premitur plectrum totum, plus effluit. Nunc campana vitrea aliquanto accuratius

potest aspici. Quae nil aliud efficit quam illa pila in experimento nostro primo.

Cum nunc sciamus, quomodo hoc operetur, rem denuo impellucidam facimus et veterem nostram cisternam ex pariete suspendimus. Quae per annos bene operata est – quid est causae, cur eam abiciamus?

C) Quomodo charta hygienica fabricetur

<https://www.youtube.com/watch?v=DwSPihWGOCI>

#BibliothekderSachgeschichten #ArminMaiwald #Klopapierrolle

Wie kommt denn das Klopapier auf die Rolle?



Proxima nostra historiola denuo agitur in Germaniâ. Quam confecimus, quia una ex vobis aliquid quaesivit quod videtur esse simplex, tamen non est facile explicatu: Quonam modo charta hygienica cylindro imponitur?

Hoc nos quoque nescivimus. Itaque hoc cinema fecimus: De chartâ hygienicâ. Num ibi est aliqui homo miserabilis, qui sedet in acervo chartarum, quas debet scytalis manu convolvere? An adhibetur ratio technica moderna? Num quae est machina rapidê mobilis, quâ chartae e pavimento attractae convolvuntur? Ah – istaec convolutio aliquatenus incurva est – et aliquantulo nimis molliter convoluta. An charta hygienica per scytalam convolvitur a duobus specialistis: quorum unus dicit, alter calcat? Quod nos ipsi cum nesciremus, quaesivimus ex fabricatoribus. –

Reverâ charta hygienica convolvitur ratione omnino aliâ. Haec res incohatur acervo chartarum detritarum. Quae insunt tali acervo? Res, quae quadrant ad chartam hygienicam fabricandam, e.g. acta diurna vetera. Sed etiam res, quae non quadrant ad chartam hygienicam, e.g. liber aut lusûs tabulares detriti aut chartae graphei fibulis instructae aut materia plastica.

Haec omnia – apta et non apta – diffringuntur et deminuuntur quodam genere rutabuli.



Nunc aqua additur et vas operculo obtegitur. Et omnibus commixtis fit quaedam puls, quae appellatur *pulp*. In fabricâ hoc fit in vasi multo maiore. In quod inspici non potest nisi per fenestram. Si puls est confecta, infunditur in machinam centrifugam, quâ rapidê circumagatur. In machinâ centrifugâ omnes res, quae non quadrant ad chartam hygienicam fabricandam, ad marginem eiciuntur, velut fibulae grapheicae et res plasticae et omnia, quae sunt inutilia. Haec sunt in nostro experimento demonstrativo fibulae grapheicae. Quae eximi possunt. Reverâ hoc fit in machinâ centrifugâ – in quam non possumus inspicere.

Puls purgata inditur cribro – sed non sôlum semel, sed quater cribratur. Et id, quod hîc nunc facimus manu et cribro nostro culinari, hoc reverâ fit quater, quattuor cribris. Et ex cribro finali effunduntur aqua et fibrae ligni pusillae. Nam charta constat ex ligno. Cribrum autem fabricae scilicet sit alîus aspectûs ac nostrum cribrum culinare – potius habet aspectum situlae. Nec appetet, sed latet in istâ re rotundâ – neque inspici potest. Si hoc, quod effunditur cribratum, accuratius aspicis, vides: hoc esse aquam, cui innatant permultae, pusillae et exiguae fibrae ligneae.



Aliquantulum harum fibrarum lignearum infunditur magnae copiae aquae – per paucae fibrae ligneae perpusillae commiscentur cum magna copiâ aquae. Haec autem mixtura spargitur inter duo cribra. Quae rotantur circa cylindros. Deinde autem quid fit? Aqua per cribra effluit et cribro nihil adhaeret nisi fibrulae ligneae. Reverâ hoc fit in machinâ – infra, dextrâ parte, ibi aqua venit aspersa. Plura vix apparent – machina est ingens et cribra celeriter currentia non spectantur nisi in alterâ parte – ecce, ibi cribra deorsum feruntur. Sed ita ut in nostris cribris parvis etiam ibi aqua exprimitur et – nos aspersi sumus – et illud album sunt fibrae ligneae collectae. Ex cribro fibrae ligneae transportantur per hanc tympanam, ibique siccantur et ibi – iam effertur charta hygienica. Charta hygienica iam est perfecta – at quonam modo haec potest adhiberi?

Ecce, talis est charta subtilis, quae evenit. Quae convolvitur istâ scytalâ ingenti. At quis tantum habet secessum, quo tanta scytala potest condi? Propriê charta hygienica convoluta est per bina strata. Quomodo hoc fit? Iстis scytalis duabus ingentibus charta convolvitur. Ecce hîc vides: Unum stratum venit ex parte inferiore, alterum ex latere. Ergo convolvuntur duo strata chartae unum alteri impositum. Haec scytala potestne adhiberi? Propriê potest – sed quis domi habet gruem, quo tantam scytalam sustentaculo inhaereat? Alia quoque res restat explicanda: Ista strata chartacea unum super alterum laxê convoluta ne dilabantur, charta hygienica convoluta, qualem vos domi soletis adhibere, habet quandam designationem impressam, quae appellatur *impressio*. Unde haec exorta est? In machinis chartae hygienicae convolvendae est quidam cylindrus chalybeius, designatione instructus, et supra eum alter est cylindrus

eiusdem designationis, qui constat ex cummi. Inter hos duos cylindros ambo strata chartacea perforuntur et dentibus comprimuntur – et hac compressione haec strata cohaerent, ne dilabantur. Hoc fit praetercurrendo. Id quod etiam multum valet: Nōtum est chartam hygienicam lineis foraminum esse instructam, quibus abripi potest. Quomodo oriuntur haec foramina? Ecce denticuli – supra, in trabe rubrā – iisdem fiunt foramina in chartā hygienicā. Trabes autem impositae sunt cylindro ingenti – non sōlum una trabs, sed quattuor trabes – et in praetereundo foramina chartae hygienicae imprimuntur. Idque fit rapidissimē. Deinde charta hygienica involvitur talibus scytalis chartonaceis. Quae perlóngae sunt – numquam vidi chartam hygienicam tantae longitudinis. Hoc autem fit mediā in machinā. Quandocumque quingenta folia sunt convoluta, machina sonum êdit „Zack!“ et deinde devolvitur longa scytala. Et tum proxima scytala 500 foliorum et - “Zack!“ - proxima.

Deinde scytalae chartae hygienicae tam tenues sunt, quam esse eas novimus – tamen adhuc perlóngae. Quisnam domi secessum habet tam altum, ut condat scytalas tam longas? Ergo adhuc aliquid deest. Denique enim adhibendus est culter celeriter currens – paene serrae similis. Hic autem culter praeteriens a longis scytalis desecat breves partes. Ecce: secat – amoget – iterumque secat. Sed scilicet hoc reverā fieri celerius. Attendite, mox res fiet verā celeritate. Viden‘, quam celeriter hoc reverā fiat? Denique e parte posteriore efferuntur scytalae, quibus involutae sunt chartae hygienicae – ita fit, ut nunc videtis. Iam perfecta est charta hygienica, ut laetē utamini!



Ecce scytalae chartae hygienicae! Ex unā scytalā longissimā factae sunt tantulae longitudinis scytalae viginti sex! En habeatis et utamini!

D) Quomodo astronautae vesicam alvumque exonerant?

Bibliothek der Sachgeschichten A3 Astronautenklo



Cum in terris aqua, quae in sellâ familiaricâ stat, nihil faciat nisi deorsum defluat, in universo idem fieri non potest, quia ibi valet status gravitatis expers. Astronautae autem sellae familiaricae se uncis affigunt, ne volitantes abigantur. Deinde collineantes student excrementa inicere parvae aperturae, cui in altero latere affixus est uter, quo omnia quae sellae incident, statim insugat et aufert.

**DE SELLA FAMILIARICA CHARTAQUE HYGIENICA
FABRICANDA DOCET ARMINUS MAIWALD, EIUS VERBA IN
LATINUM CONVERTIT LEO LATINUS**

ECHUS VOCES ET EPISTULAE

ROBERTUS OLWITZ

D.22. m.Ian. a.2022 h.20:01

Leo Latinus Roberto Olwitz sal.pl.dic. Care Roberte, a Susanna Dunstmaier rogati libenter tibi mittimus Epistulam nostram Leoninam. Si tibi placuerit, etiam in futurum tibi gratis et sine ulla obligatione mittemus tales Epistulas. tinam fruaris lectione Latina! Pancratice vale et perge nobis favere. Medullitus te salutat LEO LATINUS

D.23. m.Ian. a.2022 h.12:10

Robertus Olwitz Leoni Latino sal.pl.dic. Care Leo Latine, pro epistulâ tuâ tibi multas gratias ago! Perlibenter Epistulas Leonionas et in futurum accipere velim. De „Fragrantiae“ translatione magnificâ tuâ valde gavisus sum! Optimê vale. Satulat Robertus

D.23. m.Ian. a.2022 h.12:53

Leo Latinus Roberto sal.pl. Gratias plurimas, care Roberte, pro epistolio tuo Latino. Bene scribis, perge quo coepisti. Ubi Latinam linguam didicisti? In schola, in universitate an Marte tuo proprio? Athletice vale et perge mihi favere. Medullitus te salutat LEO LATINUS

Robertus Leoni Latino sal.pl.dic.

Summas tibi gratias ago, care Leo Latine, pro responso tuo benigno!

Philologiæ Latinæ ante multos annos in Hamburgensi Universitate studere inceperam, hæc studia autem, cum ad theatrum musicum vertissem, intermisi. Mihi non vacat, quod doleo, linguam Latinam multum tractare, sed libentissimê aliquando secundum methodum Assimil vel Ørbergense sermonis memoriam refricare vellem. Interdum in situ interretiali TuTubulo pelliculas spectare soleo de Latinitate vivâ et de sciuris. Vale plurimum! Salutat Robertus

ANSGARIUS OSLOENSIS

D.20. m.Ian.a.2022 h.17:27 scripsit haec

Salve Nicolae, annum novum laetum tibi exopto. Ni fallor, ex indice subnotatorum excidi. Ultimos enim commentarios non accepi. Velim, si licet, iterum in gregem lectorum Leonis latini suscipi. Haec breviter et congeste. **Fac valeas Ansgarius.**

El jue, 20 ene 2022 a las 20:23, SPQR (<spqr@leolatinus.de>) escribió:

Ansgari carissime, valdê vehementerque doleo, quod propter computatri defectum indice subnotatorum amisso quinque Epistulas Leoninas Tibi non iam mittere potui. Sed nunc inscriptione tua recuperata Tibi mitto omnes Epistulas desideratas et vehementer spero commercium epistularum nostri interruptum continuatum iri fecundissime. 5 EL acceptis statim scribas mihi, carissime! In annum novum Tibi

Tuisque optima quaeque, amice! Noli desistere a cursitatione tua Osloensi: corpore exercendo firmatur tuum sistema immunitatis multo magis quam omnibus pseudo-remediis atque pseudo-vaccinis coronariis! Praeterea commendo tibi vitaminum C sumendum: Nos uxor egoque cottidie arancia, i.e. mala aurea expressa, cui admiscemus sucum malorum et carotarum. O quam salubre hoc est potulentum! Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

Salve Nicolae,

Plurimas tibi gratias ago pro epistulis leoninis. Imprimis Thesaurum Latrinae magno cum gudio, exeunte hebdomade, spero me lecturum esse. De rebus minutis et cottidianis iterum ac saepius inquirendum est. Nam cum de vita hodierna scribimus aut nobiscum reputamus, saepe fit ut pollicem ostio offendamus, ut ita dicam, nisi vocabula propria rerum statim invenimus. De re culinaria, de vestimentis, de suppelletilibus interdum attente, ne indiligerter litteris etiam leviora consignemus, cogitare opportet, ut crebro facilis, quam de humanis et ceteroribus, de caelestibus et superis latine confabulemur. Etiam gaudeo quod Andreas Fritsch semper sedulus latitudinem colit. Quamquam mihi consuetudo cum viro illo docto minime intercessit, aliquando librum eius, cui inscriptio Index Sententiarum ac Locutionum, liquida cum voluptate, consulgo. Fac valeas Ansgarius

Nicolaus Ansgario s. Gratias pro responso prompto. Versarisne iterum in Hispaniam? Esne ibi recreandi an laborandi causam? Referuntur pracepta coronaria in Hispaniam nunc maximam partem sublata esse. Gubernationem intellexisse morbum covidianum non peiorem esse quam perfrictiunculam. Estne ita? Si ita, Hispanis invideo. Nam tantam sapientiam nostra gubernatio nequaquam illuminatur. Sed res diurnaria est mendacissima. Ex duabus annis nos vivimus in speluncam, quae est peior quam illa Platonica, quia est expers ullius flammulae. Non solum vacamus ab ideis, ne umbras quidem habemus idearum. Vale semper, perge mihi favere. Medullitus te salutat N.

Salve. Osloae versor, sed Valentiam, hac aestate, diis iuvantibus, mihi in animo iterum petere est. Recte dicas, Hispanici, non tam divites quam Germanici et Norvegici, omnia pracepta coronaria tulerunt. Oeconomia enim hispanica in magnum discrimin vocatur, multi Hispanici iam opere parent, et cetera. Ut quidem sentio, recte fecerunt Hispanici quod pandemiam illam tandem respuerunt. Etiam anglici, ni fallor, heri pracepta corononaria, in Britannia permulta, tulerunt. **Cura ut valeas Ansgarius**

Care Ansgari, rectissimè egerunt in hac re Hispani et Britanni. Sed quod attinet ad divitias et oeconomiam (et energiam) timeo, ne Germania mox in peiores angustias incidat quam ceterae ferent omnes nationes. Nam gubernatio nostra prasino-russata omni prudentiam caret. Maximè timendus est defectus electricitatis totalis. Quid tu cogitas de isto periculo? Scilicet Norvegiam multo plus habere olei et gasi terreni. Apud nos furor prasinus tantus est, ut et carbonariam et atomicam energiam ablatam ferent nihil restet nisi solaris et aeolica, quae in Germaniam sunt incertissimae. *Robertus*

Habeck administer prasinus totam terram vult rotis aeolicis obtegere; quo fiet, ut homines in morbum incident et aves, insecta, vespertilioes catervatim trucentur et vix ulla macula viridis restet. Ista factio quae gloriatur se naturam servare, eandem penitus destruit. Nonne? **Vale semper, N.**

Salvus sis! Ut patet, hic et nunc, nec vis aeolica, nec vis solaris, nec vis aquarum defluentium (?) ad energian ministrandam necessariam suppeditant. Igitur, adhuc petroleum et gasum producere opportet. Industriae petroleariae non finis nisi gradatim imponenda. Sed imprimis iam denuo de vi atomica disceptandum est. Quo pacto energian ad industriam (et scientias et artes mechanicas fovendas) ceteraque parare possimus, sane quaerendum est. Prosperitas Germaniae verbi causa tota ex industria pendet. Omissa sumministratione energiae certa, cultus civilis noster certe periclitabitur. Attamen, utrum ob stultitiam av malevolentiam gubernatio prasino-russata Germaniae contra vim atomicam tam vehementer resistat, plane nescio. Etiam industria suetica valde ob egestatem electricitatis his temporibus laborat. Sed de vi atomica non licet susurrare. **Fac valeas Ansgarius**

Nicolaus Ansgario s. Recte dicis prosperitatem Germaniae ex industriâ quaestuosâ pendere. Sed Prasini, quorum ideologia praevallet, maximè student industriae destruendae. Plurimum valet ad nos industria autocinetica, praesertim constructio motrorum combustiorum. Sed talium taedet Prasinos, qui praferunt mobilitatem electricam, immo birotas onerarias. Sed si deest fluentum electricum, quid facimus de autocinetis electricis? Quid de accumulatris electroautocinetorum? Quadrantne ad oecologiam, parcuntne circumiectis? Nequaquam. Continent enim terras raras, quarum collectione efficiuntur magna detimenta circumiectorum. Ceterum si tale accumulatum (e.g. lithii) accenditur, incendium fit a siphonariis vix extingibile. Est ergo valdè periculosum. Necnon incommodum est tale electroautocinetum fluento electrico onerare. Ceterum Sinenses motra electrica celerius et vilius sciunt construere quam nos. Motra autem benzinaria ingenarii Germani melius noverunt. Quid igitur prodest a ratione technicâ probatissimâ desistere? Politici nostri prasino-russati videntur cursum facere amucianum (ut utar verbo indonesico). Inde ex altero bello mundano finito numquam habuimus gubernationem tam ineptam tamque vehementer ideologiâ obcaecatam. Istaec est magna calamitas. At praeter politicorum ineptiam (ministrum valetudinis pro certo habeo esse mente captum, ministram rerum externarum est stultula puella procacula in loquendo iterum iterumque linguâ haesitans syllabasque devorans, quae nihil umquam didicit nisi resultaculo in altum prosilire - i.q. anglicê *trampoline*). Cancellarius potius automatum quam homo ante nonnullos annos in suspicionem corruptionis ingentis veniens causam iudiciale effugit eo quod contendit se non recordari posse rem suspiciosam. Si mentitus est - oportet vitam suam reliquam degat "post cortinas Sueticas" (novistine hanc locutionem theodiscam? "cortinae Sueticae" a nobis per iocum appellatur carcer). Si istanc excusatiunculam credimus - quonam modo intellegimus, quod homunculo tam oblivious attributum est munus rei publicae gravissimum? -- At isto biennio furioso

pandemiae putativaे iterum iterum suspicor gubernationes calamitati - si qui morbus pandemicus reverâ umquam fuit, quod addubito - calamitati, inquam, minimê velle mederi, sed consulto atque datâ operâ velle oeconomias et ordinem prosperitatemque nationum funditus destruere atque delere, ut constituant civitatem globalem nationum democratiaeque prorsus expertem (iam ex multis annis loquuntur de "Novo Ordine Mundi"). Novistine librum quem scripsit *Nicolaus (Klaus) Schwab* dispensator miliardariorum? Titulus libri est "*The great reset*" (Magna reinitiatio). Ibi nobis affirmat in civitate globali omnes (exceptis 1000 miliardariis!) fore possessionis expertes - tamen beatissimos. En quantum furorem: Miliardarii nos docent socialismum. Babae! Boni homines novi! ("*Brave new world*", opus illius *Aldous Huxley*, videtur esse exemplum dictaturaе hygienicae (et climaticae) - in quali nos paene iam vivimus. Quid tibi videtur de istis? Pauca tantum leviter tantum tangere potui. Mox, si volueris, certê plura. Vale semper, mi care Oscari. **Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.**

Salvus sis, Nicolae! Etiam! veri simile est potentissimos et asseclas suos novum mundi ordinem moliri. Hac de re, vereor ne rei publicae moderatores germanici, verbi causa, fallaciis et dolose gradatim iura civium tollere conentur. Discrimen autem multiplex est, non tantum industriad Europae quaestuosam omnino evellere et classem medium eradicare meditantur id genus homunculi scelesti, ut videtur, sed etiam cultum civilem nostrum funditus perdere vellent. In Gallia, nisi inclinatio rerum ad meliorem spem fiat, sane periculum est ne bellum intestinum moveatur. Cui vero bono? quaerendum est. Calamitas Europaeorum imprimis Boroamericanis et Sinensibus prodest. Quid igitur de homunculis politicis, qui nisi nutibus potentium non se attemperant? non dubito quin, si Germania in paupertatem inciderit, corrupti prasini non sine caterva sinistrorum et infelicium etiam miserrime perituri sint. Nescio an plane caecutiant, pravitate ingenii laborantes. **Fac valeas, Ansgarius.**

Nicolaus Ansgario s. Gaudeo quod similia ac ego concludis ex nuntiis politicis - quos - eheu- saepe haurire non possumus nisi ex fontibus incertis. Nam diurnarii officiales sunt mendacissimi regimini prorsus obnoxii. Sunt - Deo gratias - nonnulli diurnarii alternativi - sed iisdem semper imminet censura. Saccharimontanus furcifer sociopathicus gigas interretialis pravo consensu cum gubernationibus facto omnes voces criticas curat delendas. Nunc volunt etiam aditum Germanorum ad planiformam Telegramianam obserare. Libertas hominum, care sodalis, toto in mundo in summum discrimen adducta esse videtur. Novi Ordinis Mundi tyranni volunt creare regimen servorum aut potius formicarium. Ante nonnullos autem menses in Germaniâ novum (sive potius renovatum) genus reclamandi et libertatem iuraque fundamentalia postulandi est exortum. Imprimis resistitur obligationi sive potius coactioni vaccinandi, quam gubernatio omnibus civibus vult imponere. Quia consuetae manifestationes sub praetextu cautionis coronariae plerumque non iam permittuntur, manifestatores sine annuntiatione sineque permissione publicâ tantummodo ambulant per urbes et oppida et vicos et viculos - gregatim, pacificê

candelas manu tenentes. Plurimi ambulant diebus Lunae recordantes annum 1989, quo cives Germanicae illius Rei publicae Democraticae, qualis falso appellabatur ista dictatura - pacificâ ambulatione frequentissimâ atque constantissimâ tyrannidem superaverunt. Vigiles publici interdum violenter agunt in ambulatores quamvis maximê pacificos; sed propter eorum multitudinem et distributionem licet sperare resistentiam tandem evasuram esse felicem. Apud nos nonnulli aestimant ambulatores iam esse duos millones; patet autem numerum potius augeri quam deminui. In Austriâ condicio similis est. Vehementer spero libertatem et ius sententiam suam dicendi et integritatem corporis proprii necnon dignitatem humanam non sepultum iri. **Vale semper, care Ansgari.**



CORRIGENDA ET SUPPLENDIA



ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permitas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē electantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandas.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. manda- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA— Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	----- ----- --	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- ----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	----- ----- --	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,

USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !



HANC EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM QUINQUAGESIMAM PRIMAM



SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

**Die Saturni
29. m.Ian. a.2022**



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**